SVECIÆ REGNI
LEGES PROVINCIALES,

Prout quondam

A

Potentissimo & Serenissimo Principe ac Domino, Domino


CAROLO IX,

Sueonum, Gothorum, Vandalorum, Finnonum, Careliorum, Lapponum in Norlandiâ, Cajanorum & Esthonum in Livonia, &c. Rege, post recognitionem, confirmatæ, & anno 1608. publicatæ sunt.

A

JOHANNE LOCCENIO JC.
in Latinam linguam traductæ, & brevibus Notis illustratæ.

Cum S.ᵐᵃ R.ᵍⁱᵃ Maj.ᵗⁱˢ Privilegio.



HOLMIÆ,
Typis NICOLAI Wankijf/ S. R. Maj.ᵗⁱˢ Typographi.
ANNO M DC LXXII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO

CAROLO XI.

SVECORUM, GOTHORUM ET VANDALORUM REGI ET PRINCIPI HÆREDITARIO, PRINCIPI FINLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI-POMERANIÆ, CASSUBIÆ ET VENDIÆ, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIAE ET WISMARIÆ, UT ET COMITI PALATINO AD RHENUM, IN BAVARIA, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI etc.

REGI ET DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Subjectissimâ devotione

dedicat & offert

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Rex & Domine Clementiſſime.

QUum populus DEI ſibi olim ad exemplum aliarum gentium electurus eſſet Regem, hoc DEUS ſuo, tanquam ſupremi omnium Regis, arbitrio ac diſpenſatione fieri voluit. Cæterum quando Rex, ita conſtitutus, occupaturus eſſet regni ſui ſolium, eidem DEus Legem ſuam, tanquam vitæ & actionum regiarum regulam, illiusque accuratam lectionem atq; cuſtodiam commendavit: fructum hujus rei promittens, longos vitæ Regis dies, & inoffenſam proſperitatem. Pari modo DEUS, à cujus nutu & providentiâ R.æ T.æ M.tis poteſtas profecta eſt, quum in poſterum, Deo ſic volente, Tua Majeſtas in Regni ſui ſolio ſeſſura ſit, idem T.æ M.ti duos Codices Verbi ſui & Legum patriarum commendatos eſſe voluit; ut illos ſedulâ manu, tanquam vitæ ac im-

peri

perii Sui directores, versaret, custodiret, ac inde jus diceret subditis suis: atque sic T.æ M.ti, publicis Regni rebus, totique patriæ bene esset. Quod, quæ est R.æ T.æ M.tis pietas, & publicæ salutis cura, T.am M.tem ultrò facturam, nemo in dubium vocabit. Quia verò M.tis T.æ jussu & publicâ auctoritate Legum Suecicarum Codicem in Latinam linguam traduxi, humilimâ ejus dedicatione, R.æ T.æ M.ti prospera à DEO imperii sui auspicia, optatos progressus, diuturnam vitam, solidam gloriam, & omnis felicitatis incrementa supplici voto precari volui.

Quis non imperio CAROLI FELICITER! *optet?*
Publica nam Regis nixa salute salus.

R.æ T.æ M.ti

Subjectissimus

Johannes Loccenius.

CO-

CONFIRMATIO
REGIA
Legum Provincialium.

Nos CAROLUS IX. Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorum, Finnonum, Careliorum, Lapponum in Norlandia, Cajanorũ & Esthonum in Livonia &c. Rex, Offerimus omnibus Sueciæ Regni Incolis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Episcopis, Nobilibus, Clericis, Militibus, Civibus, & Universæ Plebi; Ecclesiasticis & Secularibus omnibus & singulis cujuscunque status & conditionis, dilectam Nostram salutationem, clementem benevolentiam, & omnia bona cum Deo Omnipotenti prius &c. Vestris Dilectionibus, & vobis omnibus satis notum est, quomodo decessores Sueciæ & Gothiæ Reges & Domini, diversis temporibus, in Iuris & justitiæ firmamentum curarint, recognosci & augeri Sueciæ Leges, prout occasiones tulerunt: Sed ne tales eorum bene instituti labores & Legum Codices cum tempore prorsus interciderent, vel corrumperentur; ut quoque omnibus innotesceret, quod Suetici & Gothici viri, ante complures centum annos, imò in ipso ethnicismo habuerint Leges & Statuta, secundum quæ vixerunt, ex quibus postea multæ utiles partes obtrusæ sunt peregrinis nationibus à nostris conterraneis hinc emigrantibus, & istorum populorum regna & regiones occupantibus; velut evidens est ex Wisigothorum & Longobardorum Legibus, adhuc exstantibus. Idcircò in omnibus regni Nostri provinciis, summâ cum industriâ & curâ conquiri fecimus omnes vetustissimos & verissimos Legum Codices, quotquot inveniri & obtineri potuerunt, & deinde, prout ætate prædecessorum Majorum nostrorum, Regum Sueciæ usurpati sunt, excudi & publicari permisimus. Sicut autem Uplandicarum & Ostrogothicarum Legum Codices, ex Nostro gratioso mandato, jam typis editi sunt, ita reliqui veluti sunt Sudermannicarum, Westrogothicarum, Wesmannicarum, & Helsingicarum Legum Codices quamprimùm concinnabuntur. In animo etiam habemus prælo committere ölandici, Smalandici, Wermelandici, Nericiensis & Finnonici juris & plurium provinciarum Codices, simulac illorum aliquot certa ac fide digna Exemplaria consequi poterimus. Desideramus idcircò à vobis, fideles subditi,

)(diti,

diti, ut velut hoc cedit in universæ nostræ patriæ ejusque incolarum singularem informationem, decus & celebrationem, ut hujusmodi Exemplaria, quotquot penes vos habetis, aut alibi reperire potestis, ad manus nostras pervenire curetis. Et quoniam ille Legum codex adhuc in omnium usu est, qui à regni Senatu revidebatur & emendabatur, ut & à Rege Christophoro, Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, Gothiæ & Vandaliæ Rege, Comite Palatino ad Rhenum, & Duce Bavariæ etc. confirmabatur & stabiliebatur, & ab omnibus Regni Ordinibus approbabatur & acceptabatur anno 1442. ne ille Legum Codex pereat aut depravetur, & ut inter tot diversos Legum Codices certum aliquod Exemplar exstet, quod communiter sequendum sit, eundem Legum Codicem, Sueciæ Coronæ & Vobis non exiguæ saluti, & justitiæ insigni incremento, pari modo typis in lucem edi voluimus. Velut autem Nobis de vobis omnibus promittimus, nostram clementem curam vobis probatum iri, & vos pro tali molestia gratos fore, vobis etiam hoc ipso seriò mandatum volumus, ut in posterum in omnibus Iudiciis sequamini hunc Regis Christophori confirmatum & typis expressum Legum Codicem, qui cum omnium certissimis & vetustissimis Exemplaribus, quàm diligentissimè collatus, convenit. Excepto tamen hîc titulo de jure Ecclesiastico, in nullis Iudiciis sequendo, donec à Nobis & dilecto nostro Senatu regni & aliis bonis ac prudentibus viris recenseatur & emendetur, & ab omnibus regni ordinibus acceptetur, & Pontificii errores prorsus excludantur, quod primâ occasione, volente Deo, fiet. Pari modo, ut verba in titulo de Rege capite tertio, quæ ita sonant: *Ad regnum Sueciæ Rex eligi, non succedere debet* &c. secundum factam unionem hæreditariam & Regni Recessus, ita immutentur: *In regnum Sueciæ Rex hæreditario jure succedere, non eligi debet*; quatenus certiores reddunt regni Sueciæ Ordines de omnibus ipsorum privilegiis, Ecclesiasticis & secularibus, prout eos facere decet, & coram Deo & hominibus conscientiam salvare potest. Idem quoque subditi præstare tenentur Dominis suis hæreditariis, ut juramentum in capite quinto tituli de Rege ostendit. Pariter volumus, ut in enormibus & aliis hujusmodi gravioribus delictis, ut perjurio, blasphemia, maledictis, homicidio, adulterio, incestu, fœnore, falsis testimoniis & aliis talibus, sequantur leges divinas in S. Scriptura expressas, quæ deinceps suo loco introducentur. Quamvis autem quædam Varietates in quibusdam Legum Codicibus MSS. reperiantur quæ circa finem hujus Codicis collocabuntur; tamen solùm tenebuntur illa sententia, verba ac fundamentum,

quæ

quæ in ipso contextu exstant, & à nobis probantur ac stabiliuntur. Concedimus etiam clementer illis qui Judicum officio funguntur, ut, si quidam casus occurrere possent, qui nec ex Regis Christophori Legibus, nec regni Recessibus dijudicari valerent, legem ac informationem quærant in aliis Legum Codicibus, quos edi curavimus (exceptis, ut ante dictum est, titulo de jure Ecclesiastico & erroribus Papisticis in eo) quia revera cognoscimus, in vetustarum Legum Codicibus à Nobis evulgatis, nec ita in communi usu versantibus, non pauca utilia reperiri, quæ in hoc Codice Christophori omissa sunt. Tandem vos scire volumus, judicandum esse secundum hunc Regis Christophori Legum Codicem, donec juxta Recessum Norcop. de A. 1604. tempus nanciscamur, hunc cum aliis Codicibus juris adhibitis R. Senatu & aliis bonis viris, recognoscendi & augendi; quod quamprimùm fiet. quo facto, eundem cum omnium vestrum consensu edi curabimus, commendantes vos omnes & singulos Deo omnipotenti. Ex arce nostra Stockholmensi 20. Decembr. A. 1608.

Regis

Regis Christophori

Confirmatio Codicis Legum Provincialium Regni Sueciæ; ex versione Ragvaldi Ingemundi.

CHRISTOPHORUS Dei Gratia, Sueciæ, Daciæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gothorumque Rex, Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ &c. Universis & singulis Nobis in Christo dilectis, Reverendiss. reverendisq; viris, Dominis, Archiepiscopo, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, Nobilibus, militibus, militaribus, Clero ac toti Communitati Regni Nostri Sueciæ, gratiam, justitiæ promulgationem, regni regnicolarumque Sueciæ directionem, regulam & fomentum. Rex pacificus piâ miseratione disposuit sibi subditos fore pacificos, modestos, observatoresque legum & justitiæ; sed effrenata cupiditas sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum, tot quotidie nova generat; ut, nisi justitia conatus ejus suâ virtute reprimeret, & quæstiones ejus implicitas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudii, concordia extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub juris regulâ limitetur, per quam genus humanum, præcipueque regnicolarum quivis regni Nostri Sueciæ, ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informatur. Sanè diversas constitutiones, leges speciales, juraq; municipalia prædecessorum nostrorum Regum in diversa dispersas volumina, quarum aliquæ propter similitudinem nimiam, quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam confusionem & obscuritatem propter, prolixitatem inducere videban-

bantur, aliquæ verò vagabantur extra librum legis dictum Legisterium Sueciæ, quæ per consuetudinem aut certam rationem inductæ sunt, ut pro lege serventur, quanquam antea tanquam incertæ frequenter in judiciis vacillabant, ad communem & maximè incolarum Sueciæ, tam spiritualium quàm secularium utilitatem, in unum volumen, vulgariter dictum Legisterium, tam Legislatores ac judices, quàm cæteros subjectos, sive actores aut reos, vel testes, comprehendens, à reverendissimo in Christo patre ac domino, domino Nicolao, Dei gratiâ Archiepiscopo Upsaliensi, reverendisque suis suffraganeis per provinciam Sueciæ constitutis, salvo jure communi in corpore juris clauso, salvisque privilegiis ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, nobilium, militum ac militarium, quibus nullum præjudicium per præsens irrogare volumus, nec gravari; nec non dilectis consiliariis Nostris, Nobilibus, militibus ac militaribus, sæpe sæpiusque instanter requisiti, resecatis superfluis, providimus redigendas: adjicientes constitutiones nostras, legesque utiles ac necessarias, per quas nonnulla quæ in prioribus erant dubia, confusa & obscura, plenius declarantur. Nos igitur requisitionem nobis factam, tanquam rationalem, juri tam divino, quàm humano consonam judicantes, compilationem præsentem, seu veteris Legisterii, propter temporis variationem, correctionem oportunam, auctoritate regia, cum omnibus suis articulis & clausulis, maturâ Nostrorum Consiliorum deliberatione specialiter & generaliter præhabitâ, confirmamus: volentes ut hac tantum compilatione universi in regno nostro Sueciæ utantur in judiciis secularibus, secundumque eam judicent. Prohibemus insuper auctoritate Regali, ne quis præsumat aliam facere aut aliâ uti, seu secundum aliam judicare, absque auctoritate & commis-

ſione ſpeciali,prout Regalem voluerit diſtrictam vindictam irremiſſibiliter evitare,eandemq; Majeſtatem dilexerit inoffenſam. Quicquid autem contra hanc compilationem, ſecundum ſuos articulos & capitula, ſecundum priora Legiſteria judicatum fuerit, caſſum ſit penitus & inane: caſſamusque & annullamus auctoritate Regia, nulliusque eſſe volumus,quicquid inde ſequutum fuerit,roboris aut momenti. In quorum evidentiam Sigillum Noſtræ Majeſtatis, quo utimur pro præſenti, unà cum Sigillo Regni Noſtri Sueciæ, præſentibus eſt appenſum. Ut ergo hujus compilationis materia quæritur, facilius inveniatur, capitulorum ordo ſequitur, qui eſt talis: Swerikes Rijke är aff Hedhna wärld samman kommit / aff Swea Land och Götha &c. Datum Stokholmis,in craſtino Philippi & Iacobi Apoſtolorum,Anno Domini M. CD. XL. ſecundo.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

POstquam ex Regio mandato impositus mihi erat labor Latinè vertendi Leges Sueticas, in quibus juventuti Academicæ publicè interpretandis per aliquód tempus versatus eram, illud onus in peritiorem, & cui magis humeri, quàm mihi Seni, valerent, transferri optassem. Sed quum benignissima studiorum meorum & qualiscunque industriæ fiducia de me concepta esset, ut par isti labori viderer, illum defugere nefas esse duxi. Ita autem, Deo adjuvante, eo defunctus sum, ut fidi interpretis partes, quoad fieri potuit, implere, nimirum verbum verbo reddere, studerem, uti nos docet Horatius in arte:

Verbum verbo curabis reddere fidus interpres.

Quum verò genius styli Sueo-Gothici, præsertim in priscis Legibus, hujusmodi sit, ut sæpe quædam concisâ brevitate, nervosè tamen, exprimat, quæ sic uno vel altero verbo reddi nequeunt; hîc opus fuit periphrasi quadam, quibus legis mens explicaretur; & hîc locum habuit vetus illud Pollionis: Malè eveniat verbis, nisi rem sequantur. Leges autem ipsas verbosis commentariis onerare nolui: ne illis usuveniret, quod olim Legum Romanarum operi. Illud prius moderatè confectum, postea commentatores variis suis interpretationibus in diversas sententias, velut materiam sectarum & litium, produxerunt; tandem ferme infinitum, certè in pluribus locis inde confusum jus Romanum reddiderunt, ut ipse Iustinianus in §. 12. de concept. Digest. & § 21. de confirmat. Digest. fatetur. Itaq. Legibus Rom. ipsius auspicio reformatis & in concinniorem ordinem redactis, voluit brevia solùm admonitoria fieri de ambiguis, reliqua verò ad supremum Magistratum, cujus est, & leges condere, & ubi necesse est, explicare, remitti. Idem institutum in brevibus meis Notis ad Leges nostras eodem fine, ex Procerum voluntate, tenere volui. Quæ perspicua & evidentia erant, præterivi; dubia verò quædam vel obscura ex collatione aliarum Legum Sueo-Gothicarum, vel Exercitiorum Academicorum antea à me editorum, clarius exponi, quasi indice tantùm digito ostendi. Quæ sub uno Titulo breviter notata continentur, in alio ejusdem materiæ titulo repetere brevitatis studio nolui. Hoc autem ex usu fore duxi, si paucis indicaretur, quæ Leges vel mutatæ vel abrogatæ essent, aut quibus aliquid ex aliis Constitutionibus ac Recessibus additum esset. Sub finem adjeci Regulas Iuris nostri præcipuas, quæ, & aliæ hujusmodi, per accommodam Iurisprudentium applicationem negotiorum, decisionis vicem sæpe præbere possunt. Animus erat his addere Titulum de verborum Iuris nostri significatione, non parum locupletatum: quia tamen non pauca exemplaria prioris editionis adhuc exstant, iteratam ejus editionem alteri Legum Volumini edendo servabo. Vale benevole Lector.

EPI-

EPIGRAMMA
IN LEGES SVEO-GOTHICAS
Latinè versas.

Quondam fama fuit, nostros Sueonesq; Gothosq;
In ferro & valida jus posuisse manu;
Et normam Iusti mores populique fuisse,
Arbitrium, nullâ lege vigente domi.
Sed pudeat famam; dũ prisca volumina Legũ,
Ætas quæ pulchrè nostra renata videt,
Strenuè in os famæ nunc cõtradicere possũt,
Quod fuerit fictæ nuncia falsa rei.
Atque hæc ut toti res esset notior orbi,
Romano Sveonum jus, placet, ore loqui.
Romam olim virtus belli, & sapientia pacis
Extulit; at propria hæc sunt duo facta Gothis.

JOH. LOCCENIUS.

CUM DEO.

LEGES REGNI SVECIÆ PROVINCIALES.

TITULUS I.

DE REGE.

19. *Si conductitii equites deperdant equum suum in servitio domini, vel alio modo.*
20. *Si Nobilis alicujus equus moriatur ante recognitionem armorum, quid ei faciendum sit.*
21. *Quomodo Nobilis alicujus liberi immunitate frui possint post mortem patris.*
22. *Quomòdo Nobilium viduæ immunitate frui & privari possint.*
23. *Quomodo Archiepiscopus, Episcopi, Equites, Nobiles & Præfecti debeant accedere ad Regem, & mulcta contrà facientium.*
24. *Quomodo Præfecti territoriales teneantur diversoria constituere in regionibus, & de diversoria præbentium officio.*
25. *Si plures hospites veniant ad diversorium, quâm illud capere possit, & diversor vel rustici nolint hospitium præbere.*
26. *Legitima conventio inferentium vim tabernario, sacerdoti vel rusticis, aut rapientium quid ab illis.*
27. *Si violenti hospites faciant aut accipiant vulnus aut necem.*
28. *Quisquis terram vel aliam possessionem alteri per vim admittit.*
29. *Quicunq; actionem suam in alium transfert, & si quis faciat se actorem in alterius causa. Quisquis etiam pro alio agere cupit, respondeat quoq; pro illo.*
30. *Qui fraudulenter sibi adquirit res soli tributarias emtione & permutatione, Regis fur est. Velut immunis terra hæreditari potest sub censum, ita vice versa. Ne colonus plus terræ censualis emat, quàm ipse conserere & colere sufficit.*
31. *Si quis vim faciat ei, quem Rex Salvi Conductus literis in patrocinium recepit.*
32. *Pœna ejus qui violat Regis sententiam, vel eorum, qui Regis judicium habent, & de æstimatione pœnæ.*
33. *Quomodo Rex ei jus dicere debeat, qui debitum ab alio exigit.*
34. *Pœna ejus qui venatur in Regiis fundis, & quinam illi sint.*
35. *Duodecim eligentur in qualibet jurisdictione, qui jus administrabunt & persequentur in illos qui delinquunt contra Regia jura; & de juramento illorum.*
36. *Quomodo violenta facinora sint accusanda & cognoscenda. Qui accusatur, tutò compareat coràm duodecim illis; & si quem ex illis suspicetur studio partium addictum esse.*

I. CAP.

I. CAP.

Sveciæ Regnum ex Sveonibus & Gothis coaluit: quod continet ſeptem Epiſcopatus, & undecim Nomarchias.

SVeciæ Regnum à primâ ſeculorum paganorum memoriâ coaluit ex Sveonum & Gothorum terris. Svecia appellabantur illæ regiones, quæ ultra *(a)* borealia nemora; & Gothia, illæ regiones, quæ citra meridionalia nemora ſitæ erant. Duplices ſunt Gothi in Sveciæ regno, Oſtrogothi, & Weſtrogothi: Non reperitur Gothorum nomen in pluribus regionibus fixum & ſtabile, niſi in Sveciæ regno: quia ab illis propagatum eſt Gothorum nomen in alias terras, ut annales perhibent. 1. §. Hoc regnum complectitur ſeptem Epiſcopatus, & undecim Nomarchias, cum limitibus ſuis. Primus eſt Archiepiſcopatus Vpſalienſis, qui continet in ſe unum Legiferatum vel Nomarchiam per totam Uplandiam. Secundus eſt Epiſcopatus Lincopenſis, qui continet duas Nomarchias, Oſtro-Gothiæ, & Ölandiæ. Tertius eſt Epiſcopatus Scarenſis, qui continet duas Nomarchias, Weſtro-Gothiæ, & Wermelandiæ. Quartus eſt Strengnenſis Epiſcopatus, qui complectitur duas Nomarchias, Sudermanniæ, & Nericiæ. Quintus eſt Arhoſienſis Epiſcopatus, qui continet unam Nomarchiam, Weſtmanniæ & Daliæ. Sextus eſt Wexionenſis Epiſcopatus, qui continet decem territoriorum vel Thiohæridenſem Nomarchiam. Septimus eſt Aboënſis Epiſcopatus, qui continet duas Nomarchias, Finlandiæ ſeptentrionalis, & meridionalis. *(b)*

(*a*) *Borealia nemora*, nimirum *Tivedh & Kollamor*, quæ reſpectu Sveciæ, verſus boream ſita ſunt, & reſpectu Gothiæ, verſus meridiem; de quibus in Lexico Jur. Sveo-Goth. plura.

(*b*) Hodiè illis acceſſerunt Epiſcopatus Lundenſis, Gothoburgenſis, Wiburgenſis, & Revalienſis. Item Nomarchia Careliæ & Kexholmiæ, Norlandiæ & Bothniæ occidentalis, Ingriæ & Scaniæ.

II. CAP.

Non debet in Svecia nisi unus Rex, & una Corona esse. Et omnes incolæ illi debent obedientiam secundum Leges.

IN universo regno Sveciæ non Corona Regalis aut Rex erit, nisi unus. Ille reget castella, arces & provincias, regni patrimonialia & Coronæ bona, (c) & omne jus Regium, reditus & mulctas peculiares & sibi proprias, occultæ cædis & aliorum facinorum, vacantem & caducam hæreditatem habebit per omnem Sveciam, ut juris est; ita tamen ut Ecclesiasticus & Civilis ordo fruatur suis privilegiis ac immunitate. 1. §. Nihil ex his ante dictis Rex pro successore suo diminuere debet. Si quis Regum hoc faciat, successor ejus hoc revocabit & recuperabit, si possit. §. 2. Omnes regni incolæ tenentur præstare Regi obedientiam, mandatis [d] ejus parere & ministerium militare obire, peculiariter in finibus regni ad provincias ejus defendendas, nec ulterius in expeditione militari ire, nisi id sponte velint.

(c) Verba illa contextus Svetici Upsala öðhom vertenda erant *Upsalienses proprietates*, vel *possessiones propriæ*. Sed quum hodie illæ referantur etiam inter Regni bona patrimonialia, ideò quoque usitatis hodie verbis exposui & hic & alibi.

(d) *inf. c. 5. §. 2. 3. h. t.*

III. CAP.

Ad regnum Rex per electionem, non hæreditariũ jus adsciscendꝰ est; & quomodo eligendus sit.

AD Regnum Sveciæ Rex eligendus est, & non jure successionis assumendus (e) vacante sede Regia, hoc modo: Iudices

(e) *Hæc verba secundum Unionem hæreditariam Regni hodiè sunt immutanda hoc modo:* Ad regnum Sveciæ Rex jure successionis assumendus, non eligendus est.

dices Provinciales, singuli ex suo Legiferatu vel jurisdictione, cum omnium istic habitantium consensu, duodecim viros prudentes ac solertes capient, & cum illis dicto die, in tempore ad comitium Morense venient, Regis eligendi causa. Primum suffragium Judex provinciæ Uplandiæ habebit, & qui cum illis nominati sunt ad eligendum Regem. Deinde singuli ordine, Iudices provinciales Sudermanniæ, Ostrogothiæ, Ölandiæ, Tiohæridensis, Westrogothiæ, Wermelandiæ, Nericiæ, Westmanniæ & Finlandiæ. Hi ad Coronam & Regnum eum eligent, ut provincias & Regium Imperium administret, leges tueatur & pacem servet. Tunc declarabitur ad regni patrimonialia bona. 1. §. Si unus ex indigenis & potissimum ex Regis filiis, si exstent, omnium horum Legiferorum aut Iudicum provincialium aut plurium suffragiis nominetur, ille Rex erit.

IV. CAP.

Jusjurandum, quod Rex præstare, & quomodo jurare tenetur.

EOdem die & loco debet Rex omnibus regni incolis fidei & securitatis juramentum jurare ac præstare. 1. § Primus Articulus est: Quod Deum & sanctam Ecclesiam amare debet & jus ejus firmare, salvo omni jure Regio, Coronæ & universi Sveciæ populi. 2. §. Secundus articulus est: Quod debet omnē justitiam & veritatē corroborare, amare & servare, & omnē calumniosam juris detorsionem, mendaciū & omnem injustitiam deprimere, tam jure, quàm Regiâ suâ potestate. 3. §. Tertius articulus est: Quod fidus esse debet omni populo suo, ita ut nullū pauperem vel divitem perdat in corpore vel membris; nisi legitimè convictus & condemnatus sit, secundum scriptas Sveciæ *Leges*. Nec ullo modo ulla bona, immobilia vel mobilia, cuicunque auferet, vel adimi sinet, nisi secundum leges & legitimam sententiam. 4. §. Quartus articulus est: Quod debet cum Senatus sui consilio in Svecia, regnum suum Sveciæ administrare ac regere, cum indigenis Svecicis [*g*] viris, non extraneis. Et ne extraneum virum in Senatum Sveciæ adsciscat; nec arces & castella, vel provincias, nec Regni vel Coronæ bona, quæ

(*g*) *art. 5. Form. regim.*

quæ ſunt immemorialis præſcriptionis, ab extraneis gubernari faciat. 5. §. Quintus articulus eſt: Quod Rex tenetur arces, caſtella & provincias, cum annuis earum reditibus ſervare, & fines regni defendere pro viribus ſuis, ita ut nihil ex his prænominatis minuatur pro ſucceſſore Rege: qui habet poteſtatem illa jure reducendi. Aliàs citò Regnum fieret Comitatus, vel minus. 6. §. Sextus articulus eſt: Quod Rex debet vivere ex bonis Regni patrimonialibus & Coronæ poſſeſſionibus & annuis legitimis tributis provinciarum ſuarum. Nec nova onera aut tributa provinciis ſuis imponet, niſi his ex cauſis: Primo, ſi extraneus exercitus, paganus aut Chriſtianus, velit terras ejus populari. Vel ſi quis indigenarum rebellet Regi, & Rex non poſſit alio modo ſe defendere. Vel ſi Rex filium aut filiam ſuam in matrimonium elocare velit. Vel ſi Rex coronari debeat, vel circuire regnum ſuum velit. Vel Rex neceſſe habeat arces & caſtella ſua vel Regni poſſeſſiones ædificare aut reparare. In talibus caſibus debent Epiſcopi & Iudices provinciales ex qualibet jurisdictione, & ſex ex Nobilibus & ſex ex populo inter ſe ponderare, quid auxilii & contributionis plebs REGI ſuo quàm commodè & tolerabiliter præſtare poſſit. 7. §. Septimus articulus eſt: Quod REX debet Eccleſiæ, Clericis & monaſteriis, Equeſtri & Nobilium Ordini, & cujuslibet eorum familiæ ac bonis, omnem antiquam immunitatem, libertatem & privilegia ſervare; & Sveciæ Leges, quas populus ſpontanea voluntate & conſenſu accepit, tueri, firmare ac defendere, ſic ut nulla iniqua lex aut prava conſuetudo prævaleat juſtæ legi; Speciatim, ut nullum extraneum [*b*] jus introducatur in regnum, quod ſit oneri populo, nec ulla lex nova conſtituatur populo, niſi cum conſenſu & bona voluntate illius. Tenetur etiam omnem populum ſuum tutum præſtare, præſertim quietos, qui cum manſvetudine & lege vivere volunt, liberare tam à refractariis & iniquis indigenis, quàm extraneis. Præcipuè REX meminerit ſervare ac tueri pacem eccleſiaſticam, forenſem & domeſticam. Omnis pax augeatur, & motus ac inimicitia exſtinguatur, prout REX juſtus & pacificus eſt. 8 §. REX debet jusjurandum ſuum præſtare, dextrâ Bibliis impoſitâ, & reliquias Sanctorum manibus ſuis tenere, & ita dicere: Ita precor Deum mihi propitium tam in corpore quàm anima, Virginem S. Mariam & S. Ericum regem & omnes Sanctos, & reliquias Sanctorum quas manu teneo, quod velim omnes ante di-

dictos titulos ſervare ac cuſtodire ſecundum artem & optimam conſcientiam meam. Et debet Rex elevatâ manu ſuâ, Deo & populo ſuo fidei ac ſecuritatis juramentum tenere, tàm juvenibus, quàm ſenibus, tàm non natis, quàm jam natis, tàm non dilectis, quàm dilectis, tàm abſentibus quàm præſentibus & Regis juramentum audientibus, & in nullo violare, ſed potius omni bono augere, & præcipuè Regia charitate ſua. Dei amor ſit cum Rege noſtro, & omni ejus populo. 9. §. Quando hoc modo à præfectis provinciarum & provincialibus eſt deſignatus & in Regem proclamatus, & juramentum ſuum præſtitit, ut ante dictum eſt, tunc legitimus Rex eſt ſuper omnem Sveciam. Poſtea poteſt Feuda concedere, Regnum ſuum adminiſtrare, & omnia ante dicta. Præterea in Regno ſuo à Deo ſupremam juriſdictionem habere ſuper omnes civiles Judices, atque ſic populi actiones ſecundum Leges, vel inquiſitam plenam veritatem audire, utrum velit.

(h) Hodierno more, in juramento Regio, ſecundum præſentem regni ſtatum, quædam aliter concepta ſunt, & quidem circa initium vel § 1. hoc modo: *Ego (NN) ſpondeo & promitto, quod velim amare Deum & Chriſtianam ejus Eccleſiam; ut & ſervare omnes regni Ordines in claro & puro Dei verbo, & ſimul tueri Jus Eccleſiaſticum, ſalvo omni jure Regio, Coronæ & populi.*

(i) Verba §. 7. ſic hodiè in Jurejurando Regis ſolent formari: *Quod Ego Comites, Barones, Equites, Nobiles, doctos & indoctos, &c. tueri velim.*

(R) Verba §. 8. ita nunc concipiuntur: *Quod omnes hos articulos tutâ fide ſervare velim, &c. impono manum meam his Biblicis ſcriptis, & ita precor Deum mihi propitium in corpore & anima, ut hæc fideliter ſervabo.*

V. CAP.

Juramentum, quod Judices provinciarum, ipſi provinciales & populus Regi jurare tenentur.

JUdex provincialis Uplandiæ, & quilibet ex juriſdictione ſua, & omnis populus cum illis præſens, quando Rex aſſumitur, hoc juramentum præſtare debent. 1. §. Primus articulus eſt: Quod omnis populus, in Svecia habitans, debet illum pro Rege habere, poteſtatem ejus & omne jus Regium reſpicere ac tueri. 2. §. Secundus eſt: Quod volumus illi veram obedientiam præſtare, & mandata ejus exſequi in omnibus quæ licita ſunt, tàm coram Deo, quàm homini-

hominibus, omni jure illius & nostro servato. 3. §. Tertius est: Quod fideliter ei servire volumus, speciatim in expeditione militari, ad limites regni & provincias cum eo defendendum. 4. §. Quartus est: Quod populus, qui antiquitus fuit & adhuc est tributarius, tenetur & vult omnem annuum ac legitimum sensum & tributa sua Regi suo dare, & sponte pendere, absque omni tergiversatione advehere, ex Regis voluntate, & propriâ suâ obligatione .5. Deinde Judex provincialis & universus populus sublata manu jurabit, ita Deum sibi propitium fore in corpore & anima, ut velint præfatos omnes articulos Regi servare, & firmare ex optima arte & conscientiâ sua, & Deo atque Regi suo tutæ fidelitatis juramentum præstare. Hoc juramento & fidei promissione, quam Judices provinciales & populus præstitere Regi suo, obligantur tam juvenes quam senes, præsentes & futuri, non chari & chari, absentes & præsentes, qui juramentum præstabant & fidem dabant.

(1) *Sup. cap. 2. §. 1.*

VI. CAP.

Rex debet circuire regnum, & provinciales eum sequi tenentur, singuli in nomarchia sua, cum securitate & obsidibus.

REx debet circumequitare [1] regnum suum, & provinciales debent eum sequi & obsides ei constituere, per quos tutus sit de fide publica, & ante dictũ juramentum præstare. Et debet Rex in provinciis ac jurisdictione qualibet spondere ac promittere, quod velit illis omne juramentum servare quod jurabat ad Morasteen, cum primum Rex sumeretur. Et populus promittere debet Regi, idem servare, quod Upsaliæ jurabat. 1. §. Rex debet recta via circumequitare provincias suas. Qui verò in Uplandiæ jurisdictione habitant, tenentur eum sequi per jurisdictionem suam usque ad Strengnesiam. Ibi Sudermanni eum excipient, & ei cum securitate & obsidibus suis obviam fient, & sequentur eum usque ad Swinrunam. Ibi occursabunt ei Ostrogothi cum obsidibus suis, & sequentur

eum

eum per provinciam suam, & mediam silvam Holawidensem. Ibi Smalandi eum excipient & seqventur eum usq; ad torrentem Julabäck dictum. Ibi occurrent ei Westro-Gothi cum securitate & obsidibus, & seqventur eum ad Romunda Bodha. Ibi obviam ei venient Nericienses, & comitabuntur per Provinciam suam ad pontem Vppugha dictum. Istic excipient illum Westmanni cum securitate & pace & comitabuntur usq; ad pontem Östensbroo appellatum. Ibi occurrent ei Uplandi, & seqventur eum Vpsaliam, 2. §. Si Rex non possit in Finnoniam venire, Drotzetus vel alius ex Regis Senatu cum Episcopo Aboënsi tàm præstare qvàm acceptare prescriptum juramentum debet, regis nomine, & hoc tam firmum sit, atq; si Rex ipse jurasset. Tunc Rex ad Provincias & Regnũ legitimè pervenit, & circumequitavit regnum suum, electus, ut lex dicit, atq; jurejurando & verbis, provinciis & provincialibus suis fecit omnia quæ ille eis, & illi ei facere ac præstare debebant.

(l) *Ista circuitio vel circumequitatio Regni, qvæ olim à Rege fiebat, & Erikzgatu sina* rijdha *à Lege dicebatur (de cujus formulæ notatione plura in Lexico Juris Sveogothici & alibi) hodie abrogata est, cujus loco substituta, ut videtur, scripta satisdatio utrimq; inter Regem & Subditos.*

VII. CAP.

Quomodo Rex inaugurari & coronari debeat.

QVando Rex, vult Vpsaliæ inaugurari & coronari debet, vel etiam in alio regni loco, ex voluntate & commoditate Regis; potissimum tamen ab Archiepiscopo, propter utriusq; dignitatem.

VIII. CAP.

Quomodo Rex Senatum suum cooptare debeat & de singulorum juramento.

REx inauguratus debet Senatum ſuum cooptare & eligere, primò *(m)* Archiepiſcopum & ſic ſuffraganeum ejus, quotquot ei idonei videntur ex indigenis, & alii Clerici ei utiles. 1. §. Duodecim erunt in Regis Senatu ex Equitibus & Nobilibus, nec *(n)* plures. Omnes verò Regi jusjurandum ſuum præſtabunt: primò debent jurare Deo & Regi erecta manu, quod velint conſulere Regi, quæ ſciunt coram Deo, ei, et regionibus ejus utilia et ſalutaria eſſe, nec intermittere propter privatum reſpectum, conſanguinitatē, affinitatem aut amicitiam. Secundò, quod velint Regi omnibus ſuis viribus ſvaſores eſſe, regni juris & jurisjurandi, quod ipſe regno præſtitit, et populus ipſi, benè ſervandi. Et hoc ſibi ipſis promittere debent, ut ſervent. Tertiò, quod velint omnia illa clam habere et tacere, quæ Rex vult ſileri, nec manifeſtare, unde ipſi vel regno ſuo detrimentum accidere poſſit.

(m) *Hoc etiam hodie abrogatum eſt, ut ſacri ordinis perſonæ, uti olim in Papatu, Senatoriæ dignitatis participes eſſent. Nunc viri illuſtres, ac politici ſoli, ei muneri admoventur. Et quidem rectè & ordine: Abſurdum enim eſt, ſi promiſcuis diverſorum actibus rerum officia turbentur* (ut dicitur in *l.* 41. *Cod. de Epiſc. & Cler.*

(n) *Hodie tamen plures conſtituuntur pro Regni amplitudine, negotiorum publicorum multitudine, uſu ac dignitate. Vid. Artic.* 5. *Formæ Regim.*

IX. CAP.

Si quis malèdicat Regi, vel ejus Senatui.

QUicunq; loquitur in Regem vel Regis Senatores, *(o)* unum vel plures, quod eorum exiſtimationi vel honori detrahat, nec poſſit illud plenè probare; Si hoc teſtentur ſex boni viri, qui audiverunt, ille capite plectetur. Si quis alia indigna verba effuderit, quæ tamen eorum exiſtimationi vel honori non detrahant, mulctetur XL. marcis, vel includatur Regis carceri ad unum menſem & cibetur aqua & pane.

(o) *Receſſ. R. de Anno* 1634. *Art.* 4.

X. CAP.

Si Rex conjugium inire velit & conjugi ſuæ Dotalitium dare.

SI Rex matrimonium contrahere velit, & Conjugi ſuæ Dotalitium *(p)* dare, hoc dabit cum conſenſu Senatorum regni, nec aliter, & quantum debeat eſſe. 1. §. Non poteſt Rex caſtella vel propugnacula dare, ſed ex terra & prædiis det. Illud verò non diutius durabit, quàm ad Conjugis ſuæ vitam. Poſt mortem ejus revertetur ad Coronam. 2. §. Si contingat Reginam Viduam velle tranſire ad ſecundas nuptias, vel regno excedere, ſedemq; ſuam mutare, tunc ſucceſſor prioris Regis ei refuſionem pro dotalitio in pecunia dabit, cum Senatus regni conſenſu & quantitatis determinatione. Nemo habeat poteſtatem adimendi ei dotalitium, dum innupta eſt & in regno permanet: niſi deprehendatur ex manifeſto facto & plenis documentis, quod ſe opponat regno in illis quæ regno poſſint eſſe detrimento, tum amittit dotalitium ſuum & redemtionem ejus; nec aliter.

(p) *In ipſo contextu Svetico eſt* Morgongåfwa/ *i.e. donum matutinale. Sed quum hodiè ad differentiam illius dicatur* Lijffgeding/ *quod Jureconſultis eſt Dotalitium, id retinere volui.*

XI. CAP.

Quomodo Nobiles Regi debeant ſervire armis & equis, & de armorum inſpectione, & quomodo ruſticus ſibi immunitatem adquirere poſſit.

HOc modo debent Nobiles Regi ſuo ſervire, vel operam militiæ equeſtris præſtare. Quicunque prædia ſua à tributis immunia cupit habere, ſive ſint Equites ſive Nobiles, nullo excepto, ille habebit tam bonum equum, ut æſtimari poſſit pro quadraginta marcis Sveticæ monetæ, melior, non deterior, & præter hoc juſta arma tam in corpore, quàm cruribus, quibus vir bonus ſe defendere poſſit. 1. §. Quotannis octiduo ante S. Petri diem, armorum inſpectio vel recognitio inſtituetur, Vpſaliæ ab omnibus Vpſalienſis Epiſcopatus: Arhoſiæ ex Arhoſienſi Epiſco-

patu: Strengnesiæ ex Sudermannia, Örebroæ ex Nericia : Lincopiæ ex Ostrogothia, Kind, Tiust, Widhbo, Ydhre, Thweta, Wist, Grånna & wisingsöö : Calmariæ ex Calmariæ præfectura & Ölandia : Rydhaholmiæ ex decem territoriorum Nomarchia: Falkenbergæ ex utraq; Hallandia, septentrionali & australi : Scaræ ex Westrogothia & Dalia : in Thingwallom ex Wermelandia: Aboæ ex omni Finlandia. 2. §. Si quis ex rusticis *(q)* sibi immunitatem adquirere velit, habebit se paratum dicto tempore & instructum equo & armis, ita ut recognituri arma Regis nomine, considerent virilem ejus habitum, famam ejus, equum & arma, & num sufficiat sustinendæ & instruendæ immunitati possessionibus. 3. §. Omnes immunitate gaudentes ad armilustrium venient, & singuli tam Equites quàm Nobiles armis induti erunt, equis insidentes, parati & instructi equo & armis, ut ante dictum est. *(r)*

(q) *Artic. 42. Privil. Nobil. Anno* 1617.
(r) *De his plura in servitii, vel operæ militiæ Equestris Ordinatione* Roßtienst Ordning/ *& Privil. Nobil. de Anno* 1617. *Art.* 34. 35. *&c.*

XII. CAP.

De inspectoribus armorũ, & modo inspiciendi & recognoscendi ea.

Armorum recognitionem & censuram exercebunt Regis nomine, in quolibet prænominato loco & tempore *(s)* illi viri quos Rex cum Senatoribus suis ad hoc constituit. *(t)* Si quis ex illis moriatur, alius in ejus locum substituatur. Illi videbunt, ut omnia ante dicta observentur. Illi monstrabunt, spectabunt & facient, quæ debent, spe Regii favoris, & proprio existimationis suæ periculo. Nulli sive conspectiori sive humiliori permittant, ut aliter se gerant, quàm dictum est, sed potius melius quàm deterius, cum equo & armis.

(s) C. 11. *h. t.* (t) *Privil. Nob. Art.* 34, 35, 36, 37.

XIII. CAP.

Si Nobilis senescat & inhabilis fiat,

quomo-

quomodo tunc Coronæ ſervire debeat.

SI Nobilis ſenex & inhabilis ad arma ſit, ſic ut ipſe militiæ equeſtris operam ſubire nequeat, ad armiluſtrium veniet, coram cenſoribus armorum Regis nomine, cum equo & omnibus armis eò pertinentibus, & oſtendet ſua impedimenta, & ſecum adducet virum qui pro eo ſervire debet. Tunc cenſores armorum inſpicient ejus impedimenta, & num ejus vices ſubiturus ſit utilis Regis ſervitio, vel non. Si quoq; vir pro eo militans, ab illo ſeparari vel diſcedere poſſit, alium aſſumat in ejus locum pari ratione. 1. §. Si poſſit ita fieri, ut miles equeſtris ſenectute vel morbo confectus ipſe non ſit habilis, & habeat filium unum vel plures, qui aliis ſerviunt, nec quotidiè domi ſunt apud patrem, tunc pater eorum ſervitio fruatur, nondum ſeparatis inter illos bonis ac familia, nec aliàs. Tum unus illorum ad armiluſtrium veniet, [u] certo tempore cujuslibet anni, ut prius dictum eſt.

(u) *Sup. c. 11. & 12. h. t. & inf. c. 15. h. t.*

XIV. CAP.

Quomodo Nobilis immunitati à militia equeſtri renunciare poſſit.

SI ſic uſu venire poſſit, ut aliquis Nobilis immunita ex militia equeſtri renunciare velit, non licebit ipſi hoc facere, niſi tempore armiluſtrii. Tunc luſtratores vel cenſores armorum Regio nomine, teſtabuntur de ejus impedimentis, [x] & quibus rationibus adductus mutare ſtatum ſuum velit, nec ab eo diſcedet absquè venia illorum.

(x) *Art. 42. Privil. Nobil.*

XV. CAP.

Si plures Nobiles communi menſâ

utātur, quomodo militiæ equeſtris ſervitium præſtare debeant.

SI plures Nobiles quàm unus (y) inſeparati ſint, pater & filius, aut gener, unus ex illis maximè idoneus ſervitium cum equo & armis ſuſtinebit, & cœteros communis menſæ liberabit. Simulac ſeparantur, poſtea non licet illis convenire, ſic ut diutius ſub unâ immunitate ſint, ſed ſinguli ſeparati pro ſe ipſis operam militiæ equeſtris ſubeant.

(y) *Art. 7. Ordin. Servit. Equ.*

XVI. CAP.

Si quis latitet tempore militiæ equeſtris, vel ſcrutinii armorum, qualem pœnam mereatur, & quæ impedimenta illum excuſent.

SI ita ſit, ut quidam auſint latitare tempore indictæ militiæ equeſtris ad regni defenſionem, vel in recognitione armorum, absque veris impedimentis, qualia ſunt hæc, & nulla alia: Si extra regnum ſit, quando jubetur adeſſe; vel in morbo decumbat; & hoc bonorum virorum aſſertione probetur. Quicunque ob dicta impedimenta ſe excuſare nequit, carebit immunitate ſuâ hactenus poſſeſſâ, eamq; nunquam recipiet; niſi ſpeciali Regis gratia fruatur; & inſuper quadraginta marcis (z) mulctabitur.

(z) *Art. 11. Privil. Nobil. de Anno 1626.*

XVII. CAP.

De ejus pœna qui aufugerit & deſeruerit Regis vexilla, quali excuſatione uti poſſit.

Si

SI quis aufugerit & deseruerit Regis vexilla, (a) tempore expeditionis militaris contra hostem, vel à Regis Officiali, vel in expeditionibus, quas Rex vel ejus Officialis emittit, reus hujus facinoris vitâ & bonis privabitur; nisi ex Regis gratiâ ipsi vitam redimere liceat. Si ita aufugerit, ut non capiatur â Regis Capitaneo, nunquam in integrum restituetur; nisi singulari Regis clementia fruatur. 1. §. Si præfectus Regius alicui talem culpam impingat, & ille neget, stabit hoc duodecim virorum, qui in expeditione equestri fuerunt, attestatione, sex utrimque nominatis.

(a) *Art. militar. 58. & 60. de Anno 1621.*

XVIII. CAP.

Si quis capiatur serviens Regi in militia equestri; & spolietur equo vel bonis suis.

SI quis capiatur serviens Coronæ in militia equestri, Rex illum redimet, & equum ac arma ei restituet, & damnum ei resarciet. Si ita contingat, ut alicujus Nobilis equus perdatur intra tempus expeditionis Regiæ & militiæ equestris, atque ille domum redeat, Rex ei alium equum restituet. Equus verò vel corruptus, si vivat, Regis Marescallo tradetur, vel rationibus probabit, quod tam boni equi jacturam fecerit. Si alio modo moriatur, quàm (b) nunc dictum est, ipse emat alium equum ad regni servitium.

(b) *Confer Art. 40. Privil. Nobil.*

XIX. CAP.

Si conductitii equites deperdant equũ suum in servitio Domini, vel alio modo.

SI conductitii vel mercenarii equites deperdant equum suum, dum in servitio sui patrisfamilias sunt, paterfamilias illis equum istum compensabit, quando emittit illos in militiam vel in alio suo servitio aut negotio, nec aliter. Et iste equus pro quo solvet Dominus, famulus ei tradere, si adhuc vivat, & cum duodenâ manu jurare debet, quod ejus culpa vel dolo non deperditus sit. (c)

(c) *Conf. cap. seq.*

XX. CAP.

Si Nobilis alicujus equus moriatur ante recognitionem armorũ, quid ei faciendũ sit.

SI ita accidat, ut Nobilis alicujus equus moriatur intra tempus lustrationis armorum, & de eo constet per idoneos ac præsentes testes, qui viderunt equum mori, tunc lustratores armorum illi constituent terminum octo septimanarum ad emendum æquè bonum equum, ut ante dictum est, & dicto die se sistat iisdem armorũ inspectoribus, & culpæ coram Rege expers sit si ita factum sit. Tunc quando armorum inspectio fit, arma sua ostendet, si immunitate sua frui velit. [d]

(d) *Sup. c. 12. 13. h. t.*

XXI. CAP.

Quomodo Nobilis alicujus liberi imũnitate frui possint post mortem patris.

SI Eques vel Nobilis unum vel plures filios post se reliquerit, ille vel illi bona sua immunia habebunt usquè ad decimum quintum annum, deindè debent ipsi vel alius eorum nomine, in servitio regni pro suis bonis militare, vel instar coloni tributum solvere debet, si operam militiæ equestris præstare non valeat. 1. § Si Eques vel Nobilis filiam post se reliquerit, illa eadem immunitate fruetur: (e)

(e) *Art. 8. Servit. milit. equest. & Art. 41. Privil. Nobil. cap. 10. de Rege, UL.*

XXII. CAP.

Quomodo Nobilium viduæ immunitate frui, & privari possint.

ILLis viduis, quarum mariti pro immunitate militiæ equestris officia præstabant suo tempore, & eorum liberis, qui nondum ad legitimam ætatem pervenerunt, immunitates quoque concedendæ sunt, salvo omni jure populi: Cum hac conditione, ut, quamdiu in viduitate permanet, immunis sit ab omni opera & servitio equestri, donec ad secundas nuptias transeat. Si nubat Nobili, is liberat bona ejus cum suis. Si verò nubat colono, tributum pendat, ut colonus. 1. § Si contingat, viduam aut virginem fornicari, jus immunitatis modò dictæ perdet. (f)

XXIII.

(f) *Vid. Art. 4. Privil. Nobil. de Anno 1622. & Art. 41. Privil. Nob. de Anno 1617.*

XXIII. CAP.

Quomodo Archiepiſcopus, Epiſcopi, Equites, Nobiles & Præfecti debeant ad Regẽ accedere. De mulctâ contra facientium.

ARchiepiſcopus equitabit terreſtri itinere ad Regem quadraginta equis ſtipatus, Suffraganeus ejus triginta equis, Regius Præfectus triginta equis, nec pluribus. Equeſtris ordinis perſonæ & Nobiles, qui ſunt in numero Senatorum regni, duodecim equis, nec pluribus, ſtipati advenient. Equeſtris ordinis viri extra numerum Senatorum regni, cum octo, & non pluribus, equis accedent. Nobiles, Equeſtris ordinis viris pares, cum ſex equis, nec pluribus. Minoris conditionis viri cum tribus equis, nec pluribus; niſi ſint in expeditione militari. Hoc modo omnes ad Regem accedent. Qui pluribus comitatus advenerit, mulctabitur XL. marcis; & hæc Regis peculiaris mulcta erit. (g)

(g) *Hæc hodiè abrogata ſunt.*

XXIV. CAP.

Quomodo Præfecti territoriales teneantur diverſoria in regionibus conſtituere, & de diverſoria præbentium officio.

DIverſoria conſtituentur ad vias publicas, duobus miliaribus vel ſemitribus â ſe invicem, non remotius. In majori pago directores erunt, ubi diverſoria eſſe nequeunt. Præfecti territoriales & Judicium territoriale conſtituent hoſpites & directores in quovis territorio (h); quod ſi non fiat, & viatores de hoc conquerantur, mulctabitur Præfectus territorii ſex marcis pro quolibet diverſorio. 1 §. Hoſpites viatoribus præbebunt domum, conclave, cubiculum, & ſtabulum extra domum; ita tamen, ut pecora eorum non expellantur. Victum & pabulum pro equis vendent ad unam noctem & unum epulum. Juvencum tabernarius & hoſpes, ſi habeant, pro duobus ſolidis charius, quâm regionatim valet, vendent; idoneam ovem pro quatuor nummis charius; libram boni butyri & lardi pro tribus nummis Sueticis; unius noctis pabulum equo præbendum, pro quatuor nummis Sueticis; modium avenæ pro

(h) *Ordinat. de tabern. diverſor. d. A. 1638. & 1664.*

pro duobus nummis charius, quàm in proximo emporio venditur. Cerevisiam & panem, prout venditur in vicini emporii foro.

XXV. CAP.

Si plures viatores ad diversorium veniant, quàm illud capere possit, & hospes vel rustici nolint hospitium præbere.

Si tot viatores advenerint, ut illis hospitis domus non sufficiat, hospes illos remittet ad proximum pagum, (i) & director tot viatoribus hospitia distribuet, quot cognoscit capere posse, & illis victum ac necessaria pro ipsorum pecuniâ procurabit, ut dictũ est. §. 1. Si hospes officium suum sustinere nolit, mulctabitur tribus marcis tripartiendis, quoties hoc negligit, & querela de eo instituitur. Si rustici necessaria non vendant, & diversorium præbeant, ut modò dictum est, singuli mulctabuntur tribus marcis, inter facientem iter, Regem & territorium dividendis.

(i) *Cap. 13. b. 1. Jur. Civit. c. 9. de jur. merc. UL.*

XXVI. CAP.

Legitima conventio inferentium vim tabernario, sacerdoti vel rusticis, aut rapientium quid ab illis.

QUicunque vim infert tabernario, sacerdoti vel rustico, & dum hospitatur apud eos, adimit illis invitis, & contra hanc nostram legem ac pacem domesticam, potum, cibum, avenam vel fœnum, & quodcunque aliud sit; si in ipso facinore deprehendatur, vel plenis documentis convincatur, Rex, si tam propè adsit, vitam gladio auferet (k) tam superiori, quam inferiori. 1. §. Regius præfectus, ubi hoc accidit, publicè significabit, & tales violatores curabit apprehendi, atque Regis custodiæ & carceri includi, cum plebis tamen auxilio, si non aliter possint. Si legitimum judicium tunc habeatur, in judicium deducentur, & jus in illos dicetur. Si judicium non habeatur, judex provincialis aut territorialis per baculum denunciatorium convocabit universale judicium. Territorialis Nemda * cum eorum juramento examinabit

(K) *Art. 7. Ordin de tabern. diverf.*

factum

* Nämda voce Svecicâ à *nominatione* ita dicti XII. Adsessores Judicii territorialis: quod coloni territorii eligendos *nominarent*, Rex confirmaret.

factum. Si etiam adſint teſtes, illi coram Nemda vel XII. Adſeſſoribus jurabunt. Si inſimulatos facinoris reos faciant, judex provincialis aut territorialis eos capitis damnent, ſi res rapta ſit dimidiæ marcæ (*l*) aut majoris pretii, nec mulctæ locus ſit; ſi minoris ſit, quam dimidium marcæ, dupli mulctam rapinæ ſolvat, pro æſtimatione facti, ut in titulo † de violatione juramenti regii deducitur. Si abſolvantur, impunes ſint. Et qui inſontem cepit aut capi facit, mulctetur quadraginta marcis tripartitò. 2. §. Si verò aufugiant, nec comprehendantur, ut dictum eſt, actor tamen de vi ſibi facta queratur coram paræcia vel judicio territoriali, ut ulterius oſtenditur, vel coram Rege, vel ejus judicium habente, quam primum illud obtinere poteſt; tunc Rex vel regii judices in judicio inquiſitorio vel provinciali veritatem inveſtigare, & actori jus tribuere tenetur. 3. §. Omne quod non ſolutum eſt, quando hoſpes ex diverſorio diſcedit, hoc raptum eſt, ſi actor eum accuſet. Illud etiam ſtabit judicii territorialis cognitioni. Si damnetur, eidem juri ſubjectus erit, ut ante dictum eſt.

(*l*) *Hodie eſt ſupra ſex marcas bonæ monetæ, Art. 7. de tabernariorum ordinatione.* † *c. 40. 41. d. tit.*

XXVII. CAP.

Si violenti hoſpites faciant aut accipiant vulnus aut necem.

QUod ſi diverſor ſe domi ſuæ defendere velit, & qui vim faciunt, hoſpites occidant, vulnerent, aut ictum cruentum vel lividum inferant ei vel alicui ejus familiæ, vel qui in ejus villa ante verſatur; ſi deprehendantur in recenti actu, vitam pro vita reddant, quotquot mortuo, verberando & pungendo, vim fecerunt (*m*). Pro vulnere, livore & ſangvinis nota, quæ tamen non ſunt lethifera, auctori manus amputetur; & omne impune ſit, quod violenti hoſpites acceperunt à defenſoribus, ſive ſit homicidium, ſive vulneratio, ictus cruentus aut livor, & in dupli mulcta, quod acceperunt defenſores ab illis violentis hoſpitibus: qui nunquam pace publ. fruentur prius, quam actor intercedat pro illis. Si non comprehendantur, tutum acceſſum habeant ad Regem vel qui ejus judi-

(*m*) *Art. 8. Ord. de tabern. ordin.*

judicium habent, ad dimidium usq; mensis. 1. § Si hospes iratus discedat ex diversorio, ideò quod non posset omnem suam voluntatem explere, & alio tempore idem faciat, nimirum homicidium, vulnerationem, sanguineum aut lividum ictum, & legitimè convincatur, obligatus sit ad pœnam ante dictam. 2. § Alioquin de omni facto debent diversorii paterfamilias, ejus uxor, liberi & familia, communi cum reliquis agricolis pace & lege frui, quando non recipiunt hospites.

XXVIII. C*AP.*

Quisquis terram vel aliam possessionem alteri per vim adimit.

QUicunq; per vim aufert possessori domum, solum, silvam, aquam vel opera aquatica vel quocunq; facto ei inutilia reddit & sibi vendicare vult, refundat damnum & XL. marcas, in tres partes distribuendas. De mobilium rapinâ fiat, ut deciditur in titulo de violatione juramenti regii. (*n*)

(*n*) *Cap.* 40. 41. *d. t. c.* 38. *de furto.*

XXIX. CAP.

Quicunq; actionem suam in aliũ transfert, & facit se actorem in alterius causa. Quisquis etiam pro alio agere cupit, respondeat quoq; pro illo.

QUicunq; actionem suam concedit alteri, perdat jus proprium in ea causa. Et quicunq; jus actoris illegitimè petit, ei respondeatur neq; de jure, neq; de pecunia. 1. §. Nemo etiam faciat se actorem coram judicio in aliena causa, nisi in quantum lex [*o*] permittit. Qui hoc facit, mulctetur tribus marcis, & actori restituat omne damnum inde acceptum. Sed si quis in se legitimè recipiat alterius causam agendam & defendendam, ille tenebitur in eadem causa respondere & justè versari. De eo qui turbat audientiam in judicio, de conviciis, & aliis hujusmodi rebus in quibus se actorem non facit, agitur in titulo judicii territorialis.

XXX. CAP.

(*o*) *Inf. C.* 33. *h. t. c.* 11. *de Rege Iur. Civ. Art.* 15. *proc. Jud. R.*

XXX. CAP.

Qui fraudulenter sibi adquirit res soli tributarias emtione vel permutatione, Regis fur est. Et velut im̃unis terra hæreditari potest sub censum; ita vice versâ. Ne colonus plus terræ censualis emat, quàm rectè colere sufficit.

SI vir Nobilis aut fœmina ineat permutationem aut emptionem cum tributario colono, cum hac conditione, ut quilibet suum possideat, attrahendvo sibi dolosè (*p*) reditus regios. Quisquis hoc facit, plenus Regis fur est, prout res æstimari potest. Qui hujus facinoris plenis & legitimis probationibus convincitur & manifestus tenetur, subjectus sit furti pœnæ; & tributarius refundat Regi omnes annuas pensiones, ut Lex ait, & mulctetur XL. marcis, soli Regi pendendis. 1. §. Velut immunis terra potest fieri tributaria, si non inde præstetur Regi opera equestris; ita terra tributaria per hæreditatem immunis fieri potest, si Nobilis sit hæres tributarii. Agricola tamen vel agricolæ filius servitii equestris merito sibi immunitatem adquirere potest, ut prius dictum est. 2. §. Nullus agricola habeat potestatem plus terræ censualis (*q*) emendi, quàm plenè conserere & possidere possit. Qui hoc facit, ita ut Coronæ reditus inde minuantur, & hoc testatur territorii Nemda, reluat Regi damnum, & XL. marcarum mulctâ Regi soli addicenda plectatur.

(*p*) *Interdictum Gustavi I. de A.* 1539. (*q*) *Constit. Strengn. de A.* 1537.

XXXI. CAP.

Si quis vim faciat ei, quem Rex Salvi Conductus literis in patrociniũ suũ recepit.

QUi vim ei infert, cui Rex patentes fidei publicæ literas concessit, si captus plenis rationibus & testibus convincatur, privabitur (*r*) vitâ & mobilibus, legitimi verò ejus hæredes immobilia capiant. De mobilibus autem actor capiat tertiam partem, & Rex duas partes. Si verò fruens fide publ. faciat contra legem, luat secundum legem & careat Regis salvo conductu.

(*r*) *Sic in jure Saxon.* 2. 15.

XXXII. CAP.

Pœna ejus qui violat Regis sententiam, vel eorum qui Regis judicium habent, & de æstimatione pœnæ.

Quisquis violat sententiam à Rege vel judicibus regiis scripto latam, mulctetur XL marcis (*s*) soli Regi addicendis. 1. §. Hæc mulcta & in quod damnatur, exigatur cum duodecim viris à reo, primum ex mobilibus ejus, quæ si non sufficiant, æstimetur domus ejus; si domus non sufficiat, æstimetur ager. Ita tamen ut consanguinei & propinqui ejus habeant jus immobilia redimendi intra noctem & annum, pro quanto pretio æstimata sunt. Si non sufficiant Regi, actori & territorio, deficiat æqualiter pro omnibus, excepto debito. Solvetur enim creditori integrum debitum, & Regi integra portio pro pœna, & Regis judices pro labore & impensis suis tertiam partem omnium mulctarum à violatoribus sententiæ regiæ capient.

(*s*) *Hodie C. dalcris b. m. Art. 8: Procefs. Ordin.*

XXXIII. CAP.

Quomodo Rex ei jus dicere debeat, qui debitum ab alio exigit.

Si quis veniet ad Regem, qui habeat syngrapham ab alio de debito; Rex actori, in absentia rei, unum atq; alterum virum constituet in illa provincia in qua habitat reus, & coram uno vel duobus reus actori satisfaciet ad diem regio rescripto præfinitum, vel opponet creditori literas apochæ, quibus probet se ei solvisse, secundum leges provinciales. (*t*)

(*t*) *C. 14. de jur. merc. LL. prov. & c. 11. h. t. LL. civit.*

XXXIV. CAP.

Pœna ejus qui venatur in Regiis fundis; & quinam illi sint.

Qui venatur in regiis campis aut vivariis, ubicunq; sint, perdit equum cum arcu & bombarda sua, & mulctatur XL. marcis. Stet cognitioni judicii territorialis, nùmne in flagranti facto depre-

hend-

hendatur, & mulcta sit solius Regis. Regii autem campi [vulgò **Parkar**] venationi Regis separati ac destinati, sunt propriæ ejus possessiones, velut Upsaliæ patrimonium, & alia hujusmodi. (s)

(s) *Ubi illi regii juris fundi hodiè siti sint, & de pœna in illis venantium, habemus in Const. R. de Venat & Aucup. art. 7.*

XXXV. CAP.

Duodecim eligentur in qualibet jurisdictione, qui jus administrabunt & persequentur in illos qui delinquunt in Regia jura; & de juramento illorum.

SI quid delinqui possit contra Regem in illud quod in titulo de Rege exstat, duodecim viri constituentur in qualibet jurisdictione, approbati, electi & nominati à Rege & provincialibus. Hi omnes curam & voluntatem habebunt inquirendi & manifestandi, singuli in suis provinciis, (ubi juri dicendo præfecti sunt) & examinandi omnes illos qui plebem inquietant adversus hæc jura. Tale juramentum præstabunt coram Deo & *reliquiis Sanctorum*,* & terrenæ suæ existimationis periculo: Nos precamur, Deum nobis ita propitium esse, & Sanctorum reliquias, quas in manibus tenemus, quod non faciemus ullum sontem qui insons est, nec ullum insontem sontem, secundum conscientiam & rationem, quam Deus nobis concessit. Nec illud omittemus propter consanguinitatem, affinitatem, amicitiam aut favorem. Et obligamus nos ipsi ad omnes antea dictos articulos & sequentes in hoc titulo inviolabiliter servandum sub eadem pœnâ; sic Deus nos adjuvet & reliquiæ sanctorum, quas manibus tenemus. 1. §. Quem igitur isti duodecim vel septem ex illis coram Rege, vel illis qui Regis judicium habent, in inquisitorio vel provinciali judicio damnant, ut in titulo de Judicio territoriali determinatur, ille damnas esto, & privator manu, collo, vita, & bonis vel pecunia, Regi, actori & territorio, secundum delicti qualitatem; quem etiam absolvunt, absolutus esto. Contra hos quoque nemini appellare liceat. (t)

* *Hæc verba hîc & alibi hodiè in juramento omittuntur.*

(t) *Hoc hodiè abrogatum est artic. 20. de Processu Judicii R. §. 3.*

XXXVI. CAP.

Quomodo violenta facinora ſint accuſanda & cognoſcenda. Qui accuſatur, tutò compareat coram duodecim illis; atq; ſi quem ex illis ſuſpicetur, ſtudio partium addictum eſſe.

Omnis violentia accuſari debet, prout alicui illata eſt, proximo die feſto † coram parœcianis & vicinis, vel in primo judicio provinciali aut territoriali, ubi habitat; vel intra ſex proximas hebdomadas, coram Rege ipſo vel Regio judicio, pro qualitate facinoris. Qui non ita accuſat, ejus querela de vi caſſa & nulla eſt. Poteſtatem tamen habebit actionem vel accuſationem inſtituendi de ipſo facinore, & quolibet alio pro ratione culpæ, ſecundum leges provinciales. Contra quem verò actio inſtituenda eſt, tutò accedet ad duodecim illos ad reſpondendum, & tutò recedet, intra quatuordecim continuos dies. Si intra hoc tempus comparare nolit, condemnabitur juxta delictum ſuum, & exſecutio in eum fiet, pro qualitate peccati. § 1. Si facinoris inſimulatus vereatur, ne quis ex illis duodecim ſtudio partium adverſus ſe ducatur, vel propter agnationem, affinitatem, amicitiam, vel propter invidiam aut malevolentiam, & hoc evidenter probare poſſit contra unum, duos vel tres; illi, nec plures, amovendi, atq; alii in illorum locum ſubſtituendi ſunt illa vice, nec diutius. [u]

† *Quamvis ordinariè lites ac iudicia feſtis diebus quieſcant, c. 7.* Ting. *tamen aliquando extra ordinem eo tempore, poſt ſacra peracta, habebantur: ſi cognitio cauſæ vel delicti, exempli cauſa, vel metu fuga rei, dilationem ferre non poterat, præſertim in violatione pacis pub. ut in hoc 36. capite, vel aliis gravioribus delictis, de qua re alibi plura.*

(u) *Vid. art. 8. Proc. Jud. Reg.*

TITU-

TITULUS II.
DE CONJUGIO.

1. *QUomodo fœmina in uxorem petenda sit, & quis verus ejus sponsor esse debeat.*

2. *Quomodo mulieres desponsandæ & copulandæ sint. Mulcta ejus qui desponsat fœminam; nisi sit verus sponsor. Mulcta ejus qui duobus desponsat unam. Mulcta illius qui concumbit cum muliere desponsata; & de infante ex ea concepto; ut & ex stupratâ nato. Si Episcopus dissolvat sponsalia.*

3. *Si virgo nubat viro contra patris & matris consensum; & de mulcta allicientis virginem ad concubitum.*

4. *Si quis conjugium & rem familiarem instituere cum desponsatâ velit, & illa denegetur ei, quomodò hoc legitimè quærere debeat.*

5. *Quibus verbis & jure sponsor debeat mulierem desponsare. Et si quis rapiat sponsam viri.*

6. *Si sponsa moriatur, antequam domum patrisfamilias ducatur, vel sponsus prius moriatur. Et quando unam noctem concubuerunt, ille curator ejus est.*

7. *Quæ dona Nobiles mittere debeant sponsæ suæ. Et de Nuptialibus vestibus.*

8. *Primariæ Nobilitatis virorum expensæ nuptiarum. Quot ad eas invitare liceat. De mulctâ eorum qui non invitati ad eas veniunt: Et similiter ad hæreditatis divisæ epulum. Quomodo hîc lege agi debeat.*

9. *Quando unam noctem concubuerunt, ille ei donum matutinale dare tenetur.*

10. *Quantum cuiq; dare liceat in donum matutinale. Mulcta ejus qui plus dat. Quis donum matutinale retinere debeat, soluto conjugio.*

11. *Adultera amittit donum matutinale, & omnia in quæ desponsata erat.*

12. *Largitionem nuptialem donatarium domum sequentem retineat is qui accepit, dum vivit donator. Postea in divisionem eat.*

13. *Si de hujusmodi largitione oriatur controversia inter donatorẽ & donatariũ.*

14. *Si de illâ controversia moveatur ei qui accepit.*

15. *Mater curet bona pupillaria cum consanguineorum consilio; donec transeat ad secundas nuptias.*

16. *Quomodò bona sint dividenda, quando mater transit ad secundas nuptias. Et mulcta ejus qui init matrimonium, nondum divisis liberorum bonis paternis.*

17. *Quomodo à patre bona pupillaria dividenda sint, quando is transit ad secundas nuptias.*

I. CAP.

Quomodo fœmina in uxorem petenda sit, & quis verus ejus sponsor esse debeat

SI quis fœminam in uxorem petere velit, sponsorem & proximos consanguineos ejus conveniet, & petitionem suam instituet. 1. §. Pater sit sponsor filiæ suæ. Si ille non exstet, sit maximus natu frater germanus ejus. Si ille non exstet, sit frater consanguineus, à parte parẽtis· si ille non exstet, sit frater uterinus, à parte matris. Si ille non exstet, sit avus; si ille non exstet, sit avunculus. Si ille non exstet, sit patruus: si ille non exstet, sit avunculus. Si nec ille exstet, sit propinquus ex agnatis vel cognatis. Quod si æquè propinqui sint, sit tunc ille qui agnatus & non cognatus est, vir non mulier; cum matris tamen consilio, si vixerit.

II CAP.

Quomodo mulieres desponsandæ & copulandæ sint. Mulcta ejus qui desponsat fœminam; nisi sit verus sponsor. Mulcta ejus qui duobus despõsat unam. Mulcta illius qui concumbit cum muliere desponsata; & de infante ex ea concepto; ut & ex stupratâ nato. Si Episcopus dissolvat sponsalia.

Si

SI vir velit sibi desponsari fœminam, sponsor ejus aderit, & quatuor testes, duo à parte viri, & duo à parte mulieris; & tunc legitimè facta est desponsatio. 1. §. Si quis alius, quàm verus sponsor, desponset, ut ante dictum est, mulctetur quadraginta marcis Regi, actori & territorio; vel probet veniam veri sponsoris duodecim possessorum jurejurando, vel inficietur cum iisdem, quod illud non fecerit. 2. §. Quicunq; vir desponsat duobus viris unam fœminam, mulctetur XL. marcis, & quicunq; illam postea petit, pendat tres marcas Episcopo; vel neget sex virorum juramento, quod ignoraverit eam prius desponsatam fuisse. Et quicunq; vir aut mulier cum duobus contrahit sponsalia, mulctetur, ut in titulo de atrocioribus delictis deciditur in capite quinto, quadraginta marcis. 3. §. Postquam legitima desponsatio facta est, paræciæ, ubi habitat, Sacerdos, ex suggestu tribus diebus dominicis (x) pro conjugio denunciabit, & deinde ei impune copulabitur. Si desponsatus concumbat cum eâ ante copulationem, Episcopo mulctam trium marcarum pendat. Si concipiant infantes intra desponsationem, illi legitimi liberi erunt (y.) 4. §. Si gignatur infans ex stuprata, quam vir deinde legitimam ducat uxorem, ille infans capiat hæreditatem, ut legitimus filius: Quum enim legitimaret mulierem, legitimabat etiam infantem. 5. §. Si Episcopus dissolvat sponsalia, ille solvat Episcopo mulctam trium marcarum qui separationi causam vel culpam dedit, & perdidit donationem propter nuptias. Si uterq; in culpâ sit, singuli perdant dimidium dictæ donationis, & Episcopo mulctam trium marcarum pendant.

(x) C. 16. *de jur. Eccles.* (y) *Cap.* 5. *de Conjug.* ŏL.

III. CAP.

Si virgo nubat viro contra patris & matris consensum. Et de mulctâ allicientis virginem ad concubitum.

QVæcunque virgo nubit viro contra patris voluntatem aut matris, sive nubat ei ut legitimo marito, sive fornicetur cum eo, excludetur hæreditate bonorum paternorum & maternorum, nec alia hæreditate. Si pater & mater ei delicti gratiam facere velit, plenam hæreditatis partem capiat. Si de eo controver-

tatur, num ei hoc remissum sit, vel non, duodecim viri illud testabuntur. 1. §. Quisquis allicit viri filiam ad concubitum, si sit virgo ex legitimo matrimonio nata, mulctetur stuprator XL. marcis (z) tripartitò patri, Regi & territorio; Nisi ducat illam uxorem, tunc mulcta ejus dimidio minor erit & tripartitò. Si sit spuria & tamen virgo, mulctetur stuprator viginti marcis; si ducat eam uxorem, impunis sit.

(z) *Vide Declar. Caroli IX. in Apend. LL. prov. h. t. & Resolut. R. de illicit. nupt. & copul.*

IV. CAP.

Si quis conjugium & rem familiarem constituere cum desponsata velit, & illa denegetur ei; quomodo hoc legitimè qværere debeat.

DEsponsatâ muliere, si sponsus velit cum ea conjugium & rem familiarem instituere, sponsori hoc indicabit sex septimanis antequam velit nuptias facere. Si denegetur illa ei absq; impedimentis, solvat XL. marcis qui hoc facit, & refundat ei expensas, prout boni viri eas æstimare possunt, duo ex cujuslibet parte. Hæc sunt legitima impedimenta: Si sponsa morbo correpta sit, vel causæ quædam intervenerint, propter quas non possint ex Dei permissione & jure Ecclesiastico matrimonialiter conjungi (a). 1. §. Si illa ei adhuc denegari possit, eat in judicium territoriale & ibi capiat sententiam ad convocandum amicos suos & recipiendam sponsam suam: Et judex nominet quatuor viros coràm tribunali, qui eum sequi debent, & testari de facto. Si eum sequi nolint, singuli mulctentur tribus marcis, in tres partes dividendis. Si ille eâ potiri non possit absq; januæ effractione, impune sit. Si quædam contentiones quoq; intervenerint ex eo quod velit eam educere, & homicidium vel vulneratio subsequatur, hoc omne impune sit, quod resistentibus infertur. Si verò occidantur aut vulnerentur qui eam recipere volunt, dupli pœna sit; & censeatur tunc fœmina legitimè recuperata, non rapta.

(a) *In gradu illicito, lege divinâ prohibito.*

V. CAP.

Quibus verbis & jure sponsor debeat mulierem desponsare. Et si quis rapiat sponsam viri.

Quum

Quum sponsus petit conjugium, sponsor ei sponsam in manus tradere debet his verbis: Ego despondeo tibi filiam meam in honorem & uxorem, & dimidiũ lectum, in feras & claves, & tertiam partem bonorum vestrorum, quæ nunc possidetis & in posterum possidebitis in mobilibus, & in omne jus Legis Uplandicæ (*b*), quam edidit S. Ericus, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. 1. §. In legibus nostris non despondetur paterfamilias in allodialia bona soli vel patrimonialia, bona aquæ inædificata, uxoris suæ, nec illa in illius, sed in omnia alia mobilia. 2. §. Si quis rapiat sponsam alterius legitimè desponsatam, ille violavit juramentum Regiũ; & bona ejus dividentur: unam partem capiet sponsus, alteram Rex, & tertiam territorium; & proscriptus nunquam restituetur in integrum antequam sponsus pro eo intercedat, vel hæredes ejus, si sponsus decesserit.

(*b*) C. 3. *de hæred. upl. leg.*

VI. CAP.

Si sponsa moriatur, antequam domum patrisfamilias ducatur, vel sponsus prius moriatur. Et quando unam noctem concubuerunt, ille curator ejus est.

JAm sponsus sponsam suam accepit, & illam domum deducere cupit; si moriatur antequam domum ejus veniat, funus ejus domum patris vel hæredum reducetur, & omne ipsi donatum ex patris aut propinquorum domo: & sponsus recipiet largitionem sponsalitiam, quam sponsæ attulit. Si quoq; sponsus moriatur, sit eadem lex; sed sponsa retineat largitionem. 1. §. Si sponsa domum incolumis & sana advenerit, ingredietur torum cum marito suo. Quando noctem unam concubuerunt, ille verus ejus curator est, & pro eâ acquirere eamq; defendere debet. Tunc ei quoq; donum matutinale dare tenetur.

VII. CAP.

Quæ dona Nobiles mittere debeant sponsæ suæ. Et de nuptialibus vestibus.

NOn debet sponsus plura dona mittere sponsæ suæ, quàm equum gradarium, ephippiũ, frænum, amictorium, calipträ.

Nemo

Nemo etiam illum ad plura cogere poteſt. 1. §. Pater ſponſæ vel ejus ſponſor, vel ejus conſanguinei non debent ipſi plura paria veſtium, quàm quatuor donare. Sed quot antea habuit, licitè ei concedi poſſunt. Alia veſtimenta ei dare liceat ſecundum facultates & voluntatem ſuam. Octo erunt ab utraq; parte, qui veſtes nuptiales geſtent, & nonus ſponſus, nec plures. 2. §. Si ſponſa veſtes quasdam donare velit, eas donet monaſteriis vel Eccleſiæ, non ludionibus & hiſtrionibus vel cantoribus. (c)

(c) *Hæc hodiè aliter obſervantur. vid. Artic. 5. Conſt. R. & de veſtib. Nobil. de A. 1664. & art. 17. Conſt. R. de abrogat. ſuperſt. ſumtuum nupt. de A. 1664. Muſicis ſingulis hodiè dantur quatuor unciales daleri. Si plus iis detur, eſt mulcta XX. dalerorum probæ monetæ.*

VIII. CAP.

Primariæ Nobilitatis virorum expenſæ nuptiarum. Quot ad eas invitare liceat. De mulcta eorum, qui non invitati ad eas veniunt; & ſimiliter ad hæreditatis diviſæ epulum. Quomodo hîc lege agi debeat.

NEmo qui convivium inſtituere cupit, ſive nuptias, ſive epulũ ab ingreſſu in templum poſt partum, ſive parentalia, ſive convivium poſt diviſam hæreditatem, ſive Sacerdotale, plures convivas invitare debet, quàm hîc enumerantur: Primò Epiſcopum & Canonicos eum ſequentes & duos alios Canonicos, octo equeſtris ordinis homines, quadraginta armigeros, viginti colonos, decem presbyteros. 2. §. Si quis non invitatus accedat ad aliquod horum antedictorum conviviorũ, ſi ſit Eques in Regis Senatu, mulctetur XL. marcis: Eques extra Regis Senatum, XXX. marcis: Equitibus æquales XX. marcis: Armigeri vel Sacerdotes VI. marcis: ruſticus aut mercenarius III. marcis. Si mercenarius vel conductus miniſter non ſit ſolvendo, luat corpore, qui non habet in ære, & laboret per annum pro qualibet marca, primò pro actore, deinde pro Rege. Non debent Epiſcopi, Equites vel nobiles, vel ex ante dictis invitati advenire cum pluribus equis, quam dictum eſt in titulo de Rege vel jure Regio. Nemini etiam licebit luſores vel muſicos emittere ad alios pro eorum ſalario. 2. §. In hæreditatis diviſæ vel exſequiarum convivio nemo tranſgredi debet quod modò dictum eſt. Poteſt

tamen

tamen plures Sacerdotes quàm decem invitare, & egenos, quotquot voluerit, & pro facultatibus suis, nec in aliis conviviis. Hæc sedulò observabit Regius Lensmannus (quasi Feudi vir, aut Feudo præfectus) vel Regius præfectus, & mulctatitiam pecuniam exiget & distribuet. De hac nihil remittetur vel Regis nomine, vel convivium præbentis. Lensmannus licitè, non invitatus, adveniet, hujusmodi rem investigandi causa. 3. §. Rei mulctatitia pecunia, per duodecim possessionatos à Lensmanno nominatos, æstimabitur, ut alia Regii judicii mulcta. Si quis plures invitet convivas, quam constitutum est, Regi pendat mulctam quadraginta marcarum; ex illis nihil condonetur. Si quis culpetur, quasi non vocatus accesserit, tribus testibus convictus mulctabitur, ut dictum est: non convictus impunis erit.

Quomodo hæc hodiè mutata sint, vide Const. Regias sup. ad cap. VII. allegatas.

IX. CAP.

Quando unam noctem concubuerunt, ille ei donum matutinale dare tenetur.

POstquam maritus & uxor conjugati sunt, & unam noctê concubuerunt, ille ejus verus tutor est, & pro ea adquirere, eamq; defendere tenetur. Tunc ei quoq; donũ matutinale dare debet.

X. CAP.

Quantum cuiq; dare liceat loco doni matutinalis. Mulcta ejus qui plus dat. Quis donum matutinale retinere debeat, soluto conjugio.

EQuestris ordinis viri dent uxori suæ loco doni matutinalis *(d)* quadraginta marcas unciales, Svetici ponderis: nec plus Communes Nobiles dent viginti marcas unciales, Svetici ponderis: nec plus agricolæ nobilitate & immunitate donati dent decem marcas unciales. Agricola possessionatus det tres marcas Sveticæ monetæ: soluta persona unam pecuniæ marcam 1. §. Donum matutinale dare pro lubitu licet, vel in rebus soli vel mobilibus, cum hac conditione: si liberos ex conjugio suscipiant, donum matutinale liberis pro maternis, non paternis bonis erit. Si non exstent liberi, habeat

(d) *Vid. Constit. R. de Nupt. & Dono matutin. Nobil. Artic. 7. de A. 1644.*

habeat donum matutinale diutius superstes ex parentibus, & neuter hæredum habeat potestatem illud impugnandi 2. §. Si quis plus quàm modo dictum est, det, illud nullas vires habeat, sed restituatur hæredibus post mortem ejus cum XL. marcis, peculiari Regis mulctâ. 3. §. Duodecim viri doni matutinalis assertores erunt, & decimus tertius qui præfiniat. Donum matutinale non debet dari, nisi postridiè nuptiarum. (e)

(e) *Sic inter Nobiles hodie quoq; observatur: sed inter non Nobiles ipso die nuptiarum, ante copulationem ecclesiasticam.*

XI. CAP.

Adultera amittit donum nuptiale, & omnia in quæ desponsata erat.

Si mulier adulterium committat & legitimè convincatur, perdit donum suum matutinale: & omne, in quod desponsata erat, capit paterfamilias.

XII. CAP.

Largitionem nuptialem donatariũ domum sequentem, retineat qui accepit, dum donator vivit; postea in divisionem eat.

Si vir desponset filium suũ vel filiam, & largitionem nuptialem donatarium domum sequentem, in eum conferat, sive sit res immobilis, sive mobilis, habeat, dum vivit donator: si mortuus sit, restituat ad divisionem cum hæredibus, & quidem juratò. Si vidua talem largitionem donet liberis suis, eadem lex erit.

XIII. CAP.

Si de hujusmodi largitione oriatur controversia inter donatorem & donatarium.

Si contendant de dicta largitione nuptiali donator & donatarius, & hic dicat eam adhuc penes sponsorem esse, tunc sponsoris dicto stetur affirmantis quantum vult, cum duodecim virorum jurejurando, & dicentis hoc modo: illud tibi dedi, & non plus, & hoc accepisti.

XIV. CAP

XIV. CAP.

Si de illâ controversia moveatur ei qui accepit.

JAm accepit largitionem nuptialem donatarius, & de ea ipsi controversia movetur,& negatur donata esse, tunc stabitur assertioni ejus cum XII. virorum juramento, quod ista largitio ei promissa erat tempore desponsationis. Duo ex illis duodecim debent testimonium perhibere, & iterum cum reliquis jurare. (f)

(f) *Confer. c. 9. de judic. territ. WL. De hoc veteri jurandi modo (qui hodiè in usu esse desiit) fuse agit* Stiernhöök *lib. 1. cap. 9. jur. vet. Sueogoth.*

XV. CAP.

Mater curet bona pupillaria cum consanguineorum consilio, donec transeat ad secundas nuptias.

SI cohabitet uxor cum marito suo,& suscipiant liberos ex conjugio, & moriatur paterfamilias, habeat mater potestatem administrandi bona pupillaria cum propinquorum consilio, dum innupta permanet.

XVI. CAP.

Quomodo bona sint dividenda, quando mater transit ad secundas nuptias. Et mulcta ejus qui init matrimonium, nondum divisis liberorum bonis paternis.

SI mulier transeat ad secundas nuptias, & liberorum ejus bona paterna adhuc penes eam sint indivisa, illa dividi debent,& mater ex indiviso præcipiet optimũ lectum cum omnibus eò pertinentibus, nimirum culcitâ, linteaminibus, pulvino, & stragulo: item vestimenta festiva & optima, pallam striatam, cycladem, calyptram & calanticam; & postea dividet in tres partes, liberis duas partes,& uxori tertiam partem mobilium. Nemini sit potestas contrahendi cum viduâ nuptias, antequam liberorum bona paterna divisa sint, sub mulcta trium marcarum.

XVII. CAP.

Quomodo à patre bona pupillaria dividenda ſint, quando is tranſit ad ſecundas nuptias.

SI mulier deſponſetur in viri cohabitationem, ibiq; prius exſtent liberi, dividentur eorum bona materna, & nunquam deſponſabitur mulier in liberorum bona materna, ſub mulctâ ante dictâ. Tunc præcipiet ex indiviſo paterfamilias lectum, ut ante dictum eſt, optimum equum, ephippium & arma ſua cum veſtimentis pro corpore ejus factis. Deinde dividat in tres partes, paterfamilias capiat duas partes, & liberi ejus tertiam partem. Si maritus vel uxor ad plures nuptias tranſeat, eadem lex erit.

XVIII. CAP.

Quomodo diviſio inſtituenda ſit, ſi plures diverſi matrimonii ſtirpes exſtent unà cũ marito aut uxore. Et de pluribus donis matutinalibus.

SI liberorum bona non ſint prius diviſa, ut antea dictum eſt, & plura matrimonia contracta ſint, quàm unum, ſive duo, ſive plura ſint, omnes liberi dimidiam partem capiant juxta patremfamilias, & tam ratum ſit unum matrimonium quàm alterum, & æque capiant ex uno matrimo nati atq; altero, & ſinguli repetant donum matutinale ex bonis patrisfamilias, cum plenis probationibus & teſtibus, prout donatum erat in die nuptiali, ſi ita ſufficiat. Si non omnibus ita ſufficiat donatum, omnes æqualiter capiant, tam unus quam alter, ſi donum matutinale in mobilibus datum ſit. Quod ſi in immobilibus datum ſit, quilibet habeat ſibi donatum ſecundũ argenti aut pecuniæ æſtimationem, ut ante dictum eſt, nec plus. 1.§. Si plurium conjugiorum liberi matri adhuc ſuperſtiti exſtent, ſive duo ſive plures ſint, illa tertiam partem capiat juxta omnes liberos, & tam ex priori quam poſteriori matrimo nati æqualiter capiant, ut ante dictum eſt.

XIX. CAP.

XIX. CAP.

Quomodo maritus uxoris ſuæ bona permutare poſſit, vel non.

PAtrifamilias non licet uxoris ſuæ bona immobilia permutare, ſive liberos habeant, ſive non, ſed cum uxoris & hæredum ejus conſenſu; & permutet tunc in melius, non deterius.

XX. CAP.

Quis liberorum tutor, defunctis parentibus, eſſe debeat.

SI pater & mater defuncti ſint, proximè conſanguineus tutor erit (ut ante dictum eſt de conjugio) liberorum & bonorum pupillarium. Et quicunq; adminiſtrat bona pupillaria, exceptis parentibus, quotannis rationem tutelæ reddet coràm propinquis, ſub mulcta trium marcarum. (g)

(g) *Vid. Nov. Conſtit. R. de Tutela.*

XXI. CAP.

Si non ſit idoneus ad tutelam qui proximæ conſanguinitatis eſt.

SI ſit parum prudens, admodum ſenex, inhabilis, vel liberorum adverſarius, qui bonis pupilli præeſſe debet, propinqui in jus ibunt & ſententiam capient. Si verum deprehendatur, ille ſit tutor, qui valet & poteſt, & benè vult pupillo ex proximis conſanguineis. Stet illud decreto judicii territorialis.

XXII. CAP.

Si paterfamilias moriatur & uxor dicat ſe prægnantem eſſe, quomodo tunc de bonis agendum ſit.

SI moriatur paterfamilias, nec liberi exſtent, & ille qui hæres eſt, petit diviſionem bonorum, uxor verò ſuperſtes reſpondeat: Prægnans ſum ex marito meo; tunc bona recognoſcentur & in bonorũ virorum manus deponentur. Uxori verò interim de alimentis

prospicietur, & illa sex mensium spatium habebit, si tum appareant vestigia gravidæ, ei adhuc quatuor mensium spatium adjicietur. Si ille infans intra decem menses nascatur & baptizetur; capiat hæreditatem. Si seriùs nascatur, non potest capere hæreditatem. Restituat deinde uxor, quod consumsit ex istis bonis, 1. §. Si verò dicat se gravidam fuisse, hoc testabitur duarum mulierum testimonio & XII. virorum juramento. Si deficiat in juramento, refundat expensas in alimenta. Si possit præstare juramentum, non restituet expensas, & tamen excludetur hæreditate.

XXIII. CAP.

De sumptibus nuptialibus inter liberos, vel fratres sororesque.

SI pater & mater nuptias faciat filio aut filiæ; istæ expensæ non venient in divisionem. Si verò fratres & sorores in divisis bonis cohabitent, si unus ex illis contrahat matrimonium, vel plures; illæ expensæ in computationem venient.

TITULUS III.

DE JURE HÆREDITARIO.

1. *QUomodo liberi & nepotes hæreditare debeant, defunctis parentibus.*
2. *Quomodo ulterius hæreditas instituenda sit inter parentes, fratres germanos & sorores, liberosq́ defuncti.*
3. *Quomodo hæreditas adeunda sit remotius ab ascendentibus & collateralibus, atq́ si de hæreditate contentio oriatur, ratione bonorum paternorum ac maternorum.*
4. *Si contentio inter descendentes, ascendentes & collaterales oriatur; & quales illi sint.*
5. *De illius infantis hæreditate, quem propinqui ajunt mortuum esse natum, & mater vivum.*
6. *Si uxor vi abripiatur marito suo, & postea pariat.*
7. *De hæreditate in septem casibus fortuitis.*

8. De

8. *De illius infantis hæreditate quem proscriptus vir suscipit ex uxore sua peregrè. Et de infante in silva concepto.*
9. *De uterinorum & germanorum fratrum ac sororum hæreditate.*
10. *Si Paterfamilias moriatur, antequam uxor sciret se gravidam esse, hæredes autem patrisfamilias capiant hæreditatem, postea fertur illa prægnans esse, & hæredes eam occidunt.*
11. *Quomodo hæreditandum sit, si paterfamilias occidat uxorem suam, vel uxor maritum contra voluntatem suam, vel casu quodam.*
12. *Quomodo hæreditandum sit, si pater aut mater castiget filium ad necem usq;, vel mater incubando opprimat infantem, vel casu necet.*
13. *Si fratres & sorores in bonis indivisis cohabitent, quomodo inter illos divisio institui debeat.*
14. *Quomodo fratres & sorores hæreditatem partiri debeant.*
15. *Si non contenti sint divisione, quomodo tunc agendum sit, atq; si dubium sit in hæreditate de proximitate.*
16. *Si quis proximior sit illo qui adiit hæreditatem, & interpellet intra trienniũ.*
17. *Si quis fornicationis insimuletur.*
18. *Quomodo concubinæ filius enutriri debeat, & si infans incuriâ pereat, quomodo disciplina ecclesiastica subeunda sit.*
19. *Quomodo concubinæ filio succedi, & is succedere debeat.*
20. *Non succedunt liberi ex adulterio nati aut similes.*
21. *Si contentio oriatur de hæreditariis & divisis bonis.*
22. *Quomodo defuncti æs alienum solvendum sit.*
23. *De vacante & caduca hæreditate, & indigenarum hæreditate, quando non adveniunt hæredes intra noctem & annum.*

I. CAP.

Quomodo liberi & nepotes hæreditare debeant, defunctis parentibus.

SI moriatur paterfamilias aut uxor, & superstites sint liberi, filius & filia, filius duas partes hæreditatis capiet, & filia tertiam partem. Et capiet nepos æque ac filius, & neptis æquè ac filia, sive quidam fratrum & sororum adhuc vivant, siue non. *(b)*

(b) *Cap. 11. §. 2. & 4. de Hæredit. UL. & Synops. Jur. Diff. IX. Qu. 1.*

II. CAP.

Quomodo ulterius hæreditas instituenda sit inter parentes, fratres germanos & sorores liberosq; defuncti.

SI non exstent filii vel nepotes, tunc pater & mater, atq; frater & soror sunt hæredes defuncti. Si plures uno fratre & sorore exstent, pater & mater dimidiam hæreditatis partem capiant, & alteram dimidiam partem fratres & sorores; pater duas partes, & mater tertiam. Si alteruter eorum duntaxat superstes sit, dimidium capiat cum fratribus & sororibus, & fratres ac sorores alterum dimidium, frater fratris partem, & soror sororis partem. 1. §. Si uterque pater & mater vivant, & solùm unus ex fratribus & sororibus; pater & mater duas partes, & unus ex fratribus ac sororibus tertiam partem. Nisi fratris vel sororis liberi supersint; illi cum uno ex fratribus & sororibus dimidiam partem hæreditatis capiant, juxta patrem & matrem, sicut frater, ita fratris filius, & sicut soror, ita sororis filius. Si verò nullus fratrum & sororum superstes sit, sed liberi eorum supersint, sive plures sive pauciores sint, tertiam partem cum patre & matre capiant. Si liberi post plures fratres & sorores exstent, dimidium capiant cum patre & matre, ut dictum est, fratris liberi fratris partem, & sororis liberi sororis partem. 2. §. Si fratres & sorores eorumve liberi non exstent, & pater ac mater vivant, vel alteruter eorum; omnem hæreditatem adeant. Eadem lex sit, si defunctis parentibus, superstites sint fratres & sorores, unus aut plures, vel eorum liberi, illi totam hæreditatem capiant. De uterinorum & germanorum fratrum hæreditate deciditur infra capite nono.

III. CAP.

Quomodo hæreditas adeŭda sit remotius ab ascendentibus & collateralibus. Atq; si de hæreditate contentio oriatur, ratione bonorum paternorum ac maternorum.

Si non exstent pater vel mater, fratres & sorores vel eorum liberi exstent, tunc avus & avia paterni, avus & avia materni cohæredes sunt. Tunc duas partes ratione bonorum paternorum, & te-

& tertiam partem ratione bonorum maternorum capiant, & viri ex eodem latere duas partes, & fœminæ tertiam capessant. 1. §. Si illi non exstent, patruus & amita, avunculus & matertera cohæredes sunt. Dividant hæreditatem, ut ante dictum est. 2. §. Si illi non exstent, patrueles & sobrini defuncti hæredes sunt; patrueles duas partes, & sobrini tertiam partem capiunt. Hi sunt patrueles defuncti, qui nati sunt ex patruo ejus vel amita: illi sunt consobrini, qui nati sunt ex avunculo vel matertera. 3. §. Ubicunq; contenditur de paternis & maternis bonis, & in æquali consanguinitate sunt cum defūcto, sive vir sive fœmina sit, à parte patris duas partes, & à parte matris tertiā capiūt. Si alter proximior sit, omnia bona capiat, nec ex illis aliquid det remotiori; nisi sint nepotes & consobrinorū liberi, illi hæreditabunt, ut prius dictum est.

IV. CAP.

Si contentio inter descendentes, ascēdētes & collaterales oriatur, & quales illi sint.

Si contentio oriatur inter descendentes, ascendentes & collaterales ulterius in generatione, quàm modò dictum est, & cum defuncto in æquali propinquitate sint, descendentes præferantur ascendentibus & collateralibus. Hi sunt descendentes, qui ex se invicem generantur in familia; ascendentes & collaterales, qui sunt retrò in familia, & ab utroque latere.

V. CAP.

De illius infantis hæreditate, quē propinqui ajunt mortuum esse natum, & mater vivum.

Si propinqui infantis dicant infantem posthumum mortuum esse natum, sed mater dicat vivum esse natum, & baptismum accepisse; ibi stabitur testimonio obstetricis, quæ duorum testium vicem supplet, & mater infantis hæres sit.

VI. CAP.

Si uxor vi abripiatur marito suo & postea pariat.

si mu-

SI mulier violenter rapiatur à marito suo, & pariat intra XL. hebdomadas ex quo in lecto erat cum marito suo, ille infans hæres erit.

VII. CAP.

De hæreditate in septem casibus fortuitis.

Si omnes collocentur in navi, maritus, uxor & liberi cum illis, & ignoretur quis prius aut posterius obierit, tunc mariti hæredes marito, & uxores hæredes uxori succedent. 1. §. Si omnes collocentur in traha, & trahã in gelicidiũ agant, atq; sic absorbeantur, eadẽ lex erit. 2. §. Si omnes incendio pereant, maritus, uxor & liberi, eadem lex erit. 3. § Si exercitus irruat in provinciã, occidat aut comburat, & nemo sciat quis diutius vixerit, eadem lex erit. 4. §. Si viri in prælio occumbant, & nemo sciat quis primus occubuerit, eadem lex esto. 5. §. Si viri à se invicem discedant vivi, & comperiantur mortui, & nemini constet quis primus mortuus sit, eadem lex esto. 6. §. Si duo ægroti decumbant in unâ domo, & alter sit alterius hæres, & ambo obeant, eadem lex esto. Si alteruter eorũ tamdiu vivat, ut Eucharistiæ sacramento uti possit, illius hæres sit; etiamsi loqui non possit, aut Eucharistiæ sacramentum capere. Stabitur hîc duorum virorum tunc præsentium testimonio.

VIII. CAP.

De illius infantis hæreditate quẽ proscriptus vir suscipit ex uxore suâ peregrè. Et de infante in silva concepto.

Si vir proscribatur, & excedat regno cumq; eo uxor ejus, atq; ille suscipiat ex ea infantem, dum in exsilio est; ille infans non debet capere hæreditatem. Si concipiatur infans peregrè, & pater restituatur ab exsilio, & infans domi nascatur, hic capax erit hæreditatis. Ita si infans ante proscriptionem patris conceptus fuerit; ubicunq; nascatur, capax hæreditatis erit. 1. §. Si uxor abeat in exsilium cum marito suo, illa non privatur rebus soli aut mobilibus. Si abeat maritus, & uxor domi remaneat, ille verò furtim domum rediens eam prægnantem reddat, infans ex ea natus non po-

teſt ſuccedere patri, ille infans pro eodem habetur atq; ſi in *ſilva** natus eſſet. 2. §. Si exſuli vel liberis ejus hæreditas aliqua contingere poſſit, illa rata erit, ſi is reſtituatur. Si non, proximi ejus hæredes indigenæ eam capiant.

* *Vid. Lexic. Jur. in* Rijsbóſde.

IX. CAP.

De uterinorum & germanorum fratrum ac ſororum hæreditate.

Si mortui ſint pater ac mater, & liberi ſuperſtites ſint, tam uterini, quàm germani fratres & ſorores, atq; unus germanorũ fratrum moriatur, reliqui germani fratres tres partes, & uterinus vel conſanguineus quartam hæreditatis partem capiat, ſive ſit ſoror ſive frater, ſive unus ſive plures in ſtirpe ſint, illi non plus accipiunt, quàm quartam partem, & quidem in circumjacentibus poſſeſſionibus, ut æſtimatur in pago villatico & par portio eſt pro pari. 1. §. Si etiam parentes mortui ſint, & duæ ſtirpes ſuperſint, ſi unus aut alter moriatur, ſtirps ſuccedat ſtirpi, nec alius vir aut mulier.

X. CAP.

Si paterfamilias moriatur antequàm uxor ſciret ſe gravidam eſſe, hæredes autem patrisfamilias capiant hæreditatem, poſtea fertur illa prægnans eſſe, & hæredes eam occidunt.

Si paterfamilias ducat uxorem & cohabitet cum ea & ſuſcipiat ex eâ infantem; ille verò obeat, antequam uxor ſciat ſe gravidam eſſe, interim patrisfamilias hæres inhiet bonis mariti, prætexens uxorem, quum ſit improles, non poſſe ei ſuccedere. Illa ignara ſe prægnantem eſſe, transfert in iſtum hæredem portiones hæreditarias. Poſtea tamen increbreſcit ſermo ſe gravidam eſſe, isq; dimanat ad aures hæredis, bonorum hæreditariorum jam participis; qui invadit fœminæ domum, manus ei infert cupiditate retinendæ hæreditatis, & conficit ejus corpus maleficio. Illa ſepelitur, ſed poſt ſepulturam innoteſcit, quod hæres eam privaverit vitâ; cujus ſi veri teſtes adſint, eſfodietur terrâ, & corpus ejus exſecabi-

tur. Quod si ibi infantis indicia appareant, infans succedet patri, infanti mater,& matris hæredes ei succedent;& mortuus ac non baptizatus hæreditabit,& vivus acChristianus excludetur hæreditate: Quia nemini licet aliquem interficere propter hæreditatis lucrum.

XI. CAP.

Quomodo hæreditandum sit, si paterfamilias occidat uxorē suam,vel uxor maritū contra voluntatem suam,vel casu quodam.

Si maritus uxorem nimis rigidè verberet, ita ut moriatur contra ejus voluntatem; ille convenietur, ut in progressu deciditur de Homicidio, nec rotæ supplicio afficietur. Ille præterea deperdit omnia ex ejus bonis lucranda. Mobilia enim ejus & omnem tertiam partem, in quam desponsatur, hæredes ejus capient ex mariti bonis, & mulctas pro ea: nec unquam illius hæredes adibunt illius hæreditatem. Nisi liberos ex conjugio habeant, illi maternam hæreditatem capient, & proximi matris consanguinei liberos sub suâ tutelâ habebunt; & quæ liberorum sunt sub suâ cura habebunt,donec ad legitimam ætatem pervenerint.Si utriusq; liberi non exstent, tunc defunctæ matris partem ejus proximi hæredes capient : nemo enim illius hæres esse potest, quem interficit. Si filius defunctæ etiam moriatur absq; liberis,non ullus ex paterna linea capiet hæreditatem,sed ex maternâ, & qui damnum accepit. 1.§. Ita quoq;, si uxor occidat maritum suum, illa non hæreditat ex illius bonis vel dono matutinali, nec ullo eo jure, in quod desponsata fuerat. Nisi habeant ex conjugio liberos, illi patris hæredes erunt; & propinqui paterni infantem sub suâ tutela habebunt, donec ad justam ætatem deveniat. Si neutrius liberi exstent, paterni consanguinei ejus hæredes erunt,& omne ejus jus capient, & mulctas pro marito. 2.§ Si alter alterum casu occidat,mulcta homicidii casualis præstabitur, & omnia deperdet, quæ alter cum altero poterat consequi.

XII. CAP.

Quomodo hæreditandum sit si pater aut mater castiget filium ad necem usq;, vel mater incubando opprimat infantem,vel casu necet.

Si filius nimis duriter castigetur, ita ut inde moriatur, pro eô mulctabitur, ut decernitur in mulcta homicidii casualis, nec capite plectetur. Nunquam verò hæreditabit occisor, sive casu, sive dolo occiderit: nisi mater incubando oppresserit infantem, non tamen vita aut hæreditate privabitur. 1. §. Si propinqui paterni eam accusent, quod dolo oppresserit infantem, ejus propinqui defendant eam XII. virorum juramento, quod nunquam hoc dolo fecerit. Atq; si tam egenos agnatos habeat, ut non admittantur ad juramentum, tunc stabitur cognitioni judicii territorialis, ejusq; vel absolutioni vel condemnationi. 2. §. Si contingat eam altera vice nubere, caveat sibi, ne infantem collocet in lecto cum vitrico: Si enim moriatur cubans prope illum, mater carebit hæreditate. Iam verò contendere possint propinqui paterni, affirmantes in utriusq; lecto exstinctum esse, parentes verò negent, remittetur illud ad judicium territoriale, & tres possessionatos viros cujusvis tetradis. Si judicium eos damnet, XL. marcis damnentur, & hæreditas exsolvatur. 3. §. Si casu occidant, mulctentur ut in homicidio casuali, & deperdant omnia lucra hæreditaria. Si occisus habeat germanum fratrem aut sororem, ad eos devolvatur hæreditas, & illam capiat sub suam curam proximus occisi consanguineus, non verò occisor, si germanus frater aut soror nondum ad maturum intellectum pervenerint, nec pater vel mater superstites sint, qui non occiderunt.

XIII CAP.

Si fratres & sorores in bonis indivisis cohabitent, quomodo inter illos divisio institui debeat.

Si fratres aut sorores cohabitent in indivisis bonis, quidquid adquirunt servitio vel alio opere manuario, tam frater unus quã alter, tam soror una quam altera suam portionem capiunt. Postquam verò divisio facienda est, bona paterna ac materna in divisionem inter illos veniunt, non verò quæ singuli suò labore aut opificio lucrantur.

XIV. CAP.

Quomodo fratres & sorores hæreditatem partiri debeant.

Si fratres & sorores hæreditatem suam dividere velint, propinqui eorum præsentes erunt minimùm duo, sortem in sinum conjicient, & postea sortientur. 1. §. Si unus fratrum dicat sortem missam esse, alter neget, standum est assertioni ejus qui affirmat, & hoc probare vult pleno & æquali juramento propinquorum, quod suam partem per sortem & legitimam divisionem cum fratre suo vel sorore factam, acceperit. Et talis sortitio firma est. Si sortitio facta sit in villa provinciali, facta etiam esse præsumitur in omnibus adsitis, quæ eò pertinent.

XV. CAP.

Si non contenti sint divisione, quomodo tũc agendum sit, atq; si dubium sit in hæreditate de proximitate.

Si quis dicat portionem suam deteriorem esse, & petat æquari sibi, standum est ejus petitioni, qui intra noctem & annum cupit æqualiter dividi. Tunc omnes juratò reportabunt quod acceperunt, & proximi consanguinei duodecim aderunt, vel quotquot à parte bonorum paternorum ac maternorum haberi possunt, qui sint quindecim annorum, hoc modo: ut quisq; retineat, quod accepit, atq; si unius pars sit deterior, quàm alterius, ad æqualitatem redigetur, & sic melior reddetur, nec de integro nova divisio fiet. Si postea nihilominus contendant, propinqui præsentes jurabunt, quod æqualius dividere non possint, quàm nunc factum est. Et postea quilibet adquiescat contentus suâ parte, nec ulterius eatur ad æquationem inter illos, nec inter eorum liberos. 1. §. Si quidam de hæreditate contendant, justum & legitimum est, ut qui manifestam consanguinitatem ex lege habet, hæreditatem capiat. Si dubium subsit, nec manifesta sit consanguinitas, judex territorialis generationum lineam pro se computari curabit, eiq; adjudicabit hæreditatem, qui meliores rationes & veriorem bonorum virorum assertionem producere potest: Ita tamen, ut, ambiguitatis tollendæ causa, qui secundum Nemdæ sententiam hæreditatem sibi vendicare debet, probet consanguinitatem suam esse veram non falsam, cum duodecim virorum juramento, & quatuor ex illis testimonium perhibere debent, duo ex parte bonorum paternorum, & duo ex parte bonorum maternorum intra sextum gradum. Quisq; exquirat & probet proximitatem suam, antequam triennii præscriptio superveniat: Aliàs retinet hæreditatem possessor.

XVI. CAP.

Si quis proximior sit illo qui adiit hæreditatem, & interpellet intra triennium.

Si quis propinquior sit illo qui potitus est hæreditate, & intra triennium eam petat, recipiat illam legitimis testibus & sententia, licet ad alium jam devoluta sit. Est enim revocabilis hæreditas, quam illegitimi capiunt, si in tempore interpelletur, ut dictum est.

XVII. CAP.

Si quis fornicationis insimuletur.

NOn potest quis alium fornicationis insimulare, nisi in ipso crimine sit deprehensus, aut exstet proles ex eo suscepta tanquam testis. Si neutrum horum sit, & tamen insimuletur, duodecim virorum juramento se purgabit ratione prolis, & usurpationis fœminæ, ita ut nunquam cum ea concubuerit intra XL. hebdomadas & intra quod tempus pepererat; vel mulctetur tribus marcis soli desponsatori addicendis.

XVIII. CAP.

Quomodo concubinæ filius enutriri debeat, & si infans incuriâ pereat, quomodo disciplina Ecclesiastica subeunda sit.

MAter concubina alet infantem suum, donec sit trium annorum, deinde pater, donec sit VII. annorum, interim uterq; eum curabit ad septennium. 1. §. Si infanti conducatur nutrix, & infans incuriâ deperdatur, Episcopus dijudicabit, cui pœna Ecclesiastica subeunda sit.

XIX. CAP.

Quomodo concubinæ filio succedi, & is succedere debeat.

Si contingat filium naturalem tantum, vel ex concubina natum adquirere sibi nummos, eumq; mori, pater & mater superstites ei succedunt, pater in duabus partibus, mater in tertia bonorum parte. Si alteruter eorum superstes sit, solidum capiat. Si neuter, de ejus hæreditate, ut aliâ fiat. 1. §. Concubinæ filio succedetur, ut aliis. Ipse verò non in plus succedet patri quàm in duas marcas, matri in unam. Quando legitimus filius accipit sex marcas, concu-

binæ filius tres marcas capiat, sive sint plures sive pauciores. Si verò hæreditas minor sit, nihil planè capient: si major sit, tamen non plus quam tres marcas capiant. Non potest concubinæ filius hæres esse, ubi pater aut mater non est, nisi in linea descendente. *(i)*

(i) *Vid. cap. 22. de Hæredit. WML. & Synops. Jur. Differt. IX. Qu. V.*

XX. CAP.

Non succedunt liberi ex adulterio nati aut similes.

Si suscipiantur liberi ex adultera, consanguinea, commatre vel cognata, illi ab omni hæreditate excluduntur.

XXI. CAP.

Si contentio oriatur de hæreditariis & diversis bonis,

Si quid impugnetur quod ex hæreditatis divisione quis accepit, impugnatum pro uno impugnatur pro omnibus quorum interest, sive illud retinere, sive restituere debeant. Et hæredes lege illud defendant aut expendant.

XXII. CAP.

Quomodo defuncti æs alienum solvendum sit.

Si quis moriatur relicto post se ære alieno, illud solvatur ex bonis ejus indivisis, & hæredes dividant quæ supersunt. Quod si bona non superent æs alienum, nihilominus ex iis solvatur. Si non suppetant bona, difficile est sumere nummos, ubi non adsunt; & hæredes liberi à solutione sint. Nullam verò potestatem habeant dividendi ullam hæreditatem, antequam æs alienum solutum sit. Si non sufficiant bona plenæ solutioni, in omni debito solutio æqualiter deficiat, tàm in uno quàm altero. *(k)*

(k) *Ex hoc cap. & cap. 17. eod. Tit. II. Civit. patet, hæredem ultra vires hæreditatis non teneri, etiam non confecto inventario, si creditores plus ab eo exigant.*

XXIII. CAP.

De vacante & caduca hæreditate, & indigenarum hæreditate, quando non adveniunt hæredes intra noctem & annum.

Si vir ille moriatur, qui non habet hæredes intra regnum, si adveniat verus hæres intra noctem & annum cum literis & plenis documentis, quod defuncti legitimus hæres sit, ille defuncto succedat in bonis. Si non ad dictum tempus accedat, Regio Fisco

cedat

cedant ejus bona sive immobilia sive mobilia, non jure donatà [quod ob crimen ejus, confiscationi essent antea obnoxia]; & hoc lex vocat *Dana arf.* (*l*) Iam si cuiquã bona immobilia sint donata, recipiat ille qui dedit. 1. §. Si autem indigena moriatur & constet de hæreditate ejus, intacta maneat ejus hæreditas, donec adveniat legitimus hæres. Si verò ignoretur hæres, nec de eo certi quid nuncii afferatur, aut ipse intra noctem & annum non accedat, dimidium Rex hæreditet, & alterum dimidium pro anima ejus det. Si clericus sit qui ita absq; hærede decedat, Episcopus jure regiò fruatur in præscripta hæreditate. (*m*)

(*l*) *Vid. Lexic. Jur. Sueogoth. in v.* Danaarff.
(*m*) *Hæc hodiè in usu esse desierunt, de qua re alibi.*

TITULUS IV.

DE IURE AGRARIO.

1. *QUinque sunt legitimi adquirendi prædii modi. Et de immemoriali præscriptione.*
2. *Quomodo ager hæreditarius legitimè vendi & publicè denunciari debeat.*
3. *Quomodo jus retractus habentes agrum hæreditarium redimere debeant.*
4. *Si unus dicat agrum hæreditarium denunciatum esse, alter neget.*
5. *Quomodo agricola possit uxoris suæ agrum vendere & denunciare.*
6. *Quis propinquorum proximus sit ad redimendam terram.*
7. *Quomodo terra sit hypothecæ obliganda & redimenda.*
8. *Quo pretio & quomodo terra hypothecæ obligata sit redimenda. Atq; si consanguineus peregrè abierit, impuber, aut virgo sit, quomodo tunc redimenda sit terra.*
9. *Quæ sit terra hæreditaria, quæ adventitia vel industria adquisita. Et de libero dispensandi arbitrio in terra adventitia.*
10. *In omni agri emtione & permutatione duodecim firmatores erunt, & judex territorialis super hujusmodi contractum literas dabit hìc expressas, atq; si de illo agro postea lis oriatur.*
11. *Si literæ agrariæ deperdantur, & quod emtio agri possit coram judice provinciali fieri.*
12. *Si lis oriatur de emtâ terrâ, author progredietur & evictionem præstabit, aut mulctabitur.*

13. Quomo-

13. *Quomodo venditor ad evictionem obligetur.*

14. *Si emta terra aut permutata in plurium virorum manus perveniat & controvertatur, atq; primus evictionem præstare nequeat, quæ ejus mulcta sit*

15. *Nullus mandatarius vendat alterius terram, nisi possessoris literas super ea re habeat. Nemo etiam de rebus soli cognoscat & sententiam ferat, nisi possessor citatus sit ac respondeat.*

16. *Si quis vendat virginis, impuberis aut amentis terram, in melius vendat. Habent tamen facultatem revocandi vel servandi contractus, quando sui juris fiunt.*

17. *Quomodo illa terra sit legitimè persequenda, quæ permutatur ex rure in emporium.*

18. *De trium annorum præscriptione in agrorum emtione vel permutatione; & de ejus mulcta, qui alienam terram vendit aut permutat.*

19. *Cui agrarium debeatur ex terrâ venditâ aut permutata, vel ex terrâ ab alio legitimè revicta.*

20. *De tempore locati prædii & solvendi agrarii. Quomodo colonus probare debeat agrarium esse solutum, & quomodo locatio ad hæredes transeat.*

21. *Si colonus conductitius legitimè renunciet locatori terram.*

22. *Si colonus non legitimè renunciet domino fundi, quid ei tunc faciendum sit.*

23. *Si colonus emigret prædio intra conventæ conductionis tempus, quomodo proprietarius eum reducere debeat.*

24. *De emigrationis die, & quid colono conductitio non sit licitum ex prædio secum auferre.*

25. *Quomodo colonus conductum prædium legitimè restituere debeat, & de legitimâ ædificatione.*

26. *Si colonus emigret & adhuc in ære sit domini prædii, & quod colonus liberè possit emigrare tempore conductionis finito, & legitima resignatione factâ.*

27. *In quibus casibus agricola possit uxoris suæ terram vendere, & hæc illius.*

28. *Si maritus aufugiat ab uxore, aut vice versa, quomodo terra eorum vendi possit, desertis & liberis in alimenta.*

29. *In omnibus adquisitis bonis maritus duas partes possidet, & uxor tertiam, sive emant sive vendant.*

30. *Si unus in lite de fundis provocet ad authorem suum à quo sibi eos adquisivit, alter ad paternam hæreditatem, quomodo id dirimi debeat inter utrumq; juramento virorum lineæ paternæ Et si plures sint authores, quomodo tunc translati dominii authores prodire debeant, & de sententia sequestri.*

31. *Quomodo liberi aut propinqui debeant senes & debiles parentes alere, &*

Quid

quid illis pro ea sustentatione debeatur. Mulcta ejus qui detrectat alere.

32. *Si duo pagi litigent de terra, & quidam vicinorum renuncient isti liti.*

33. *Quomodo societas vel communio contrahenda, servanda & dissolvenda sit.*

I. CAP.

Quinq; sunt legitimi adquirēdi prædii modi, & de immemoriali præscriptione.

QUinq; legitimi adquirendi modi sunt in Sueciæ legibus: primus est, hæreditas, quum legitimè hæreditatum est; secundus est, permutatio, quum legitimè permutatum est; tertius est emptio, quum legitimè emptum est; quartus est donatio, quum legitimè donatum est; quintus est pignori vel hypothecæ obligata terra, quum legitimè oppigneratio facta est, & exspiravit. 1. §. Hæ sunt sufficientes adquisitiones tam terrarum, quàm aquarum & piscaturarum, & omnium attinentiarum, prout clarè scriptum est in legum nostrarum codice, quomodo quodvis sit legitimum vel illegitimum in suo loco. *Legitimum* sit ratum ac firmum, illegitimum sit revocabile. Omne enim legitimè adquisitum, est rectè adquisitum, & omne illegitimè adquisitum, pro non adquisito habetur, donec immemorialis præscriptio accesserit. Ubi immemorialis præscriptio accessit, hoc est legitimè adquisitum, quod nemo inquietare debet.

II. CAP.

Quomodo ager hæreditarius legitimè vendi, & publicè denunciari debeat.

SI quis terram suam hæreditario jure adquisitam vendere velit, in tribus judiciis territorialibus eam consanguineis suis publicè denunciari curabit, paternam agnatis, & maternam cognatis. Postea consanguinei jus retractus habentes, tempus annuum habebunt ad redimendam illam terram. Si intra dictum tempus non redimant, possessor potestatem vendendi cui velit habebit, & nemo cognatorum deinceps illud amplius interpellare poterit.

III. CAP.

Quomodo jus retractus habentes agrum hæreditarium redimere debeant.

Si consanguinei agrum hæreditarium redimere velint, redimant secundum trium virorum à parte hæredum, & à parte consanguineorum legitimam æstimationem, non ex arbitrio cognatorum, ut olim in usu erat. Si alienetur terra à consanguineis, nec legitimè denuncietur, sit mulcta trium marcarum, & consanguinei nihilominus redimant terram.

IV. CAP.

Si unus dicat agrum hæreditarium denunciatum esse, alter neget.

Si contendant inter se, unus affirmet agrum denunciatum, alter inficietur; duodecim virorum ex territorio, in quos consentiunt contendentes, assertioni stabitur Si legitimè fuerit denunciatus, & ad terminum à lege præfinitum steterit, ille retineat qui accepit. Si minus, ad consanguineos revertatur, & venditor sex marcis mulctetur, emtor verò pretium restituat.

V. CAP.

Quomodo agricola possit uxoris suæ agrum vendere & denunciare.

Si quis uxoris suæ agrum vendere velit, cognatis ejus illum legitimè denunciari faciet, eodem jure, quo proprium suum agrum; nec plus ex agro uxoris quàm tertiam partem vendat, & duas partes ex proprio.

VI. CAP.

Quis propinquorum proximus sit ad redimendam terram.

Si contendant viri de jure redimendi, ille proximior sit ad redimendum, qui proximior est juxta ordinem hæredum. Si verò pretium competens non offerat qui propinquior est, alter propinquo-

quiorum illud intra noctem & annum offerens, præferetur. Si ambo æquè propinqui ſint, ambo redimant, dimidium ſinguli. 1. §. Si litigent de proximitate, & quilibet dicat ſe proximiorem eſſe, in judicium ſe conferentes ibi ſtemma ſuum per ſex viros computari curabunt, & quem illi jurant ac teſtantur propinquiorem eſſe, ille jus redimendi habebit.

VII. CAP.

Quomodo terra ſit hypothecæ obliganda & redimenda.

Si quis terram ſuam hypothecæ obligare velit, aderunt quatuor viri poſſeſſionati cum judice territoriali, duo ex utriusq; parte, & æſtimabunt terram in judicio(*n*), quantum valere poſſit, & ſecundum eorum æſtimationem oppignerabitur, & ita redimetur, nec charius. Si oppignorans non redimat intra dictum diem, adhuc habeat noctem & annum ad redimendum, ſi poſſit. Si ille non redimat, habeant conſanguinei ejus poteſtatem redimendi intra ſex hebdomadas à conſtituto die. Si nec illi redimant, retineat ille qui accepit. Atq; ſive conſanguinei redimant, ſive retineat qui pignori accepit, ſuppleatur oppignoranti pretium, prout terra æſtimata & oppignerata erat in judicio, & deducatur de capite vel ſorte quantum ex terrâ illâ fructuum percepit.

(*n*) *Hodiè etiam privatim & per ſcripturam hoc fieri ſolet.*

VIII. CAP.

Quo pretio & quomodo terra hypothecæ obligata ſit redimenda. Atq; ſi conſanguineus peregrè abierit, impubes aut virgo ſit, quomodo tunc redimenda ſit terra.

Hæc ſunt pretia, quibus terra alicujûs redimenda eſt, aurum, argentum, præſens pecunia, frumentum, boves, lardum, butyrum, linteum, pannus levidenſis, ferrum, cuprum, pannus non formatus & diſſectus. Et qui aderant, cum terra hypothecæ obligaretur, præſentes etiam erunt in pretiorum refuſione, & æſtimabunt terram in ſolutum datam. Si illi non adſint, præfectus territorii nominet alios, in quotquot utrimq; conſentiunt;

Et quicquid isti fecerint, ambo adquiescent. 1. §. Si consanguineus peregrè abierit, intra annum tempus redimendi habebit, ex quo rediit. Impubes quoq; annum redimendi spatium habebit, ex quo quindecim annorum factus est; & virgo habebit idem tempus, ex quo nupta est.

IX. CAP.

Quæ sit terra hæreditaria, quæ adventitia, vel industria adquisita. Et de libero dispensandi arbitrio in terrâ adventitiâ.

Si quis vendat terram hæreditario jure adquisitam in uno loco, vel etiam permutet, & emat in alio loco, hæc est terra hæreditaria, non adventitia. 1. §. Terram adventitiam vel industriâ adquisitam non necesse est consanguineis denuntiare: De ea possessori est libera disponendi facultas, donandi aut vendendi cui velit, quam optimè potest; nisi à familia sit adquisita, tunc proximo ex familia denuntianda est.

X. CAP.

In omni agri emptiõe & permutatione duodecim firmatores erunt, & judex territorialis super hujusmodi contractu literas dabit hîc expressas; atq; si de illo agro postea lis oriatur.

Ubicunq; quis agrum aut fundum legitimè vult alienare, emptione vel permutatione, duodecim possessionati viri firmatores erunt, in eodẽ territorio in quo terra ista sita est, & judex territorialis declarabit & nominabit virum, agrum aut fundum suum alienantem, atq; ita dicet: (o) *Hic vir alienat terram suam legitimè denunciatam, & quæ per legitimum denunciationis tempus stetit, & tantam, & in illo pago sitam, propè ac remotè, cum omnibus adsitis, intra & extra fundum, & alienat à se & suis hæredibus, & transfert in illum & illius hæredes pro tot nummis; Et ad hoc hi XII sunt firmatores, & nos omnes testamur, quod hoc in judicio legitimè factum sit.* Isto modo judex territorialis super eo literas dabit, & duos solidos capiet pro literis, ut & judex provin-

(o) *Formula scripti instrumenti de venditare soli, adhuc usitata.*

provincialis. 1. §. Si postea lis de illa terra oriri possit, tunc ille, cui lis movetur, suos firmatores nominabit. Illi singuli jurabunt, & precabuntur ita Deum sibi propitium, uti terram istam ille legitimè emit, & nos ejus emtionis firmatores eramus. Si ex illis quidam obierint vel peregrè profecti sint, vel legitimè impediti sint, velut ulterius deciditur, ita ut advenire non possint; tunc alii possessionati viri eorum loco nominentur, qui intererant iudicio, cum contractus emtionis fieret. Illi pari modo jurabunt, quo firmatores, si adessent. Si potest ipse quoq; jurare, judex territorialis contractum ratum & firmum judicabit: Nec ulli potestas erit illam terram sæpius impugnandi, quæ semel ita defensa est; Quia quando legitimè defensum est pro uno, tunc etiam defensum est pro omnibus illis, qui in posterum actionem super eo instituere possint.

XI. CAP.

Si literæ agrariæ deperdantur, & quod emptio agri possit coram judice provinciali fieri.

Si literæ de emptione agri perdãtur, quas judex territorialis dedit, tunc de ea firmatores testabuntur, vel duodecim viri, qui in judicio tempore datarum literarũ fuerunt, num datæ fuerint, vel non. Si emptio talis fiat coram judice provinciali, ille dabit super ea literas cum ante dictâ verborum formula.

XII. CAP.

Si lis oriatur de emptâ terrâ, author progredietur & evictionem præstabit, aut mulctabitur.

Si quis emat terram ab alio, evictionem præstabit venditor, & de pretio cavebit emptor. Si litigetur de illâ emptione, author rei venditæ, vel ipse venditor in medium progredietur; qui si evictionem præstare possit, emptio ipsius emptoris rata erit. Si dictus auctor non compareat, vel compareat quidem, sed evictionem præstare nequeat, quilibet ad suum redeat, & ille mulctetur tribus marcis qui vendebat cujus dominium in emptorem legitimè transferre non poterat.

XIII. CAP.

XIII. CAP.

Quomodo venditor ad evictionem obligetur.

Si quis emat terram ab alio, sive sit clericus sive laicus, probet per firmatores veri possessoris emptionem rectè factam: nec inficiari illam, aut evictionem negare potest verus possessor, quando adsunt firmatores.

XIV. CAP.

Si empta terra aut permutata in plurium virorum manus perveniat & controvertatur, atq; primus evictionem præstare nequeat, quæ ejus mulcta sit.

Quando quis alienat terram suam, sive vendendo sive permutando, & postea transfertur illa ab uno ad alium & quidem tertium possessorem vel ulterius; si controvertatur illa terra pro eo qui primus eam alienavit, nec defendere possit, mulctetur pro non legitimè translata terra: mulctetur etiam pro violenta usurpatione, si ea intervenerit, reliqui verò sint immunes; & ille redeat ad suos nummos, qui eos expendit, & ille ad terram suam, qui eam ante possedit, nisi tribus annis non impugnata steterit, ut inf. deciditur.

XV. CAP.

Nullus mandatarius vendat alterius terram, nisi possessoris literas super ea re habeat. Nemo etiam de rebus soli cognoscat & sententiam ferat, nisi possessor citatus sit ac respondeat.

Nullus mandatarius potestatem vendendi domini sui terram habeat, nisi emptor accipiat domini literas de translatione domini terræ. 1. §. Nemo etiam potestatem habeat judicandi de alicujus rebus soli vel possessionibus, nisi possessor legitimè citatus sit & ipse se defendat, vel certus ejus mandatarius, qui plenam ejus instructionem & patentes literas cum sigillo ejus habeat.

XVI. CAP.

XVI. CAP.

Si quis vendat virginis, impuberis aut amentis terram, in melius vendat. Habent tamen facultatem revocandi vel servandi contractus, quando sui juris fiunt.

Nemo habeat potestatem impuberis, virginis vel amentis terram vendendi aut permutandi, nisi permutet in melius. Ità tamen, ut cum impuber ad maturam ætatem, virgo ad conjugium & amens ad sanam mentem pervenerint, potestatem habeant istam permutationem servandi aut rescindendi.

XVII. CAP.

Quomodo illa terra sit legitimè persequenda, quæ permutatur ex rure in emporium.

Si quis terram suam ex rure in emporium permutare velit, legitimè persequatur eam in judicio istius territorii ubi sita est, & denunciet consanguineis. Si illi non redimant eam, ut antea dictum est, vendat aut permutet illam cum quo velit, in emporio aut ruri. Et quilibet de sua parte faciat, uti lex jubet, ratione situs, intervenientibus literis & aliis rationibus.

XVIII. CAP.

De trium annorum præscriptione in agrorum emtione vel permutatione, & de ejus mulcta qui alienam terram vendit aut permutat.

Omnis terra, quam quis absq; impedimento & quietè possedit ad triennium, sive emta sive permutata sit, & hoc duodecim viri testari possint, à nemine impeti debet, quæ tamdiu quietà stetit. Nisi quis peregrè & extra regnum fuerit, vel captivus, vel virgo, vel impuber; illis licebit redimere terram suam, ex quo qui quilibet in integrum restitutus, & domû redux, & sui juris factus

eit;

est,ut ante dictum est. 1. §. Si quis non revocet istam emptionem aut permutationem in judicio territoriali & legitimè intra triennium, ut ante determinatur, retineat tunc terram qui eam adquisiuit. Et quisquis terram alienam vendidit aut permutavit, refundat ei, qui illâ caruit, omne damnum,& restituat æquivalentem terram, & tam bene sitam, & insuper quadraginta marcis tripartitò mulctetur, si terram illam sibi vi vendicarit, ut in titulo de jure Regio deciditur. Si terra ista ei alio modo accesserit, nec possessionis suæ jus adserere possit, restituat ei damnum & terram æquè bonam & tres marcas pro non evicto, & hoc testentur judices territoriales.

XIX. CAP.

Cui agrariũ debeatur ex agro vendito aut permutato, vel ab alio legitimè revicto.

Si quis agrum ab alio emat, vel permutatione accipiat, aut hypothecâ, ante terminum solutionis agrarii;tunc agrarium istius temporis possessori debetur. 1. §. Si etiam duo altercentur de agro non violenter, sed bonâ fide possesso, debetur illi agrarium ex eo anno, quo agrum lege sibi vendicat, si consitus sit. Si verò ager alicui per vim ablatus sit, tunc ei, cui ablatus est, agrarium & pensiones ordinariæ tot annorum, per quot illo caruit, præstabuntur ab eo qui per violentiam eo illum privavit: & pro violentia mulctabitur, prout in titulo de jure Regio determinatum est, & simul omne damnum refundet actori.

XX. CAP.

De tempore locati prædii & solvendi agrarii. quomodo colonus probare debeat agrarium esse solutum, & quomodo locatio ad hæredes transeat.

Tempus locationis prædii est sexennium, septimo anno renovabitur locatio arrhâ datâ, prout inter utrumq;, proprietarium & colonum convenit, & sic agrarium. 1. §. Verus autem solvendi agrarii terminus est S. Thomæ dies ante festum Nativitatis Christi. Si solvat agrarium ante, sit impunis: Si non legitimo solutionis die, vel prius solvat, quadruplo plus mulctarum, quàm

quàm agrarium est, luat, & postulet tam mulctas, quàm agrarium proximo die judiciali, post festum Nativitatis Christi. Si iam colonus affirmet agrarium esse solutum, proprietarius verò neget, colonus hoc bonorum virorum juramento probabit, pro ratione agrarii: Si deficiat in jurata probatione, expendet agrarium. 2. §. Proprietarius vel dominus fundi non habebit potestatem resignandi colono terram, ante finitum locationis tempus. quod si fecerit, restituet ipsi omnem istius temporis mercedem, quam ab eo accepit. Si verò moriatur vel conductor vel locator, æquè succeditur in conductionem vel locationem atque in patris bona hæreditaria, donec tempus locati & conducti prædii finitum sit.

XXI. CAP.

Si colonus conductitius legitimè renunciet locatori terram.

SI colonus prædium proprietario legitimè resignaverit post finitum locationis tempus, ante diem Quadragesimæ; proprietarius ipse prædium suum curabit, & dispiciet sibi de alio colono.

XXII. CAP.

Si colonus non legitimè renunciet domino fundi, quid ei tunc faciendum sit.

SI colonus post locationis, & intra agrarii solutionis tempus renunciet prædium, domino tradet aratum agrum, vel solvet ei arationis mercedem, ex arbitrio duorum virorum ab uniuscujusque parte, quando nihil est aratum. Si aratum sit, nihil repetet pro labore suo. Quod si locationis tempus nondum finitum sit, perdidit arram suam, arationem & sementem siliginis. nisi dominus eum eijciat prædio; quod judicium territoriale testabitur. 1. §. Non debet colonus post agrarii solutionis diem prædium renunciare; quod si fecerit, procurabit proprietario alium colonum, & expendet agrarium, & sustinebit omnia onera istius anni, quamvis terra tunc non seminata sit.

XXIII. CAP.

Si colonus emigrat prædio intra conventæ conductionis tempus, quomodo dominus prædii eum reducere possit.

SI colonus aufugiat, vel emigret prædio intra conductionis placitum tempus, proprietarius facultatem habebit eum reducendi cum pecore suo. 1. §. Si colonus animo se defendendi resistat, & vulneretur vel ille, vel qui eum defendere volunt, absque homicidio, omne sit impune. Si quis ex illis occidatur, sit mulcta xx. marcarum. Si verò proprietarius subsequens vel comites ejus aliquo detrimento afficiantur in occidendo aut vulnerando, illud omne mulctabitur dupli pœna: & omnes qui adjuverunt colonum in emigrando, singuli mulctabuntur tribus marcis in tres partes dividendis; atque colonus resarciet proprietario omne detrimentum inde acceptum, & insuper sex marcarum mulctam solvet soli proprietario addicendam.

XXIV. CAP.

De die emigrationis, & quid colono non sit licitum secum ex prædio auferre.

LEgitimus emigrationis dies vulgò est dies Jovis ante diem Dominicum Quadragesimæ: tunc evacuata dimidia domus erit pro immigraturo. Nulli colono licebit ex prædio secum abducere pecora, aut avehere pabula ante diem emigrationis, sub mulcta trium marcarum tripartitarum. Si colonus pabulum vendere velit, id primo offeret domino prædii. 1. §. Non licet colono tigna, corticem, longius stramen, perticas aut sepem secum ex prædio auferre, sub mulcta trium marcarum, & refusione damni. Et pabulum consumetur in prædio, sub dicta pœna & resarciendo damno.

XXV. CAP.

Quomodo colonus conductum prædium legitimè restituere debeat, & de legitima ædificatione.

COlonus domino fundi restituet bona soli meliora, non deteriora, & instructiora ædificiis ac sepimentis; & quotannis de integro ædificabit ad minimum, quantum dimidiâ marcâ æstimari possit; & accepta sarta tecta habebit. Quicquid in eo defecerit, supplebitur ex ejus pecore, antequam emigret. Si discedat vel emigret, mulctæ exigantur, ut dictum est.

XXVI.

XXVI. CAP.

Si colonus emigret, & adhuc in ære alieno ſit domini prædii. Quod colonus liberè emigrare poſſit, finito tempore conductionis, & legitima reſignatione facta.

Si colonus emigret prædio, finito conductionis tempore, abſque venia proprietarii, & in ejus ære alieno ſit, legitimè cum conveniat de debito, ſive minori, ſive majori, & debitor inſuper mulctetur tribus marcis. 1. §. Nemo etiam poteſtatem habeat retinendi colonum ultra tempus locationis & legitimæ reſignationis; niſi colonus ſponte ſua remanere velit.

XXVII. CAP.

In quibus caſibus agricola uxoris ſuæ terram vendere poſſit, & hæc illius.

Non licebit marito uxoris ſuæ terram vendere, niſi hi caſus urgeant. Si extraneus exercitus regnum invaſerit, ſive ſit paganorum, ſive Chriſtianorum, atque captivum abduxerit maritum aut uxorem, nuncieturque ac jubeatur hæc vel ille redimi; nihil verò ſuppetat, præter ejus terram, maritus illam vendere poteſt, & pro illius pretio eam redimere: & vice verſa uxor maritum captum. 1. §. Si fames eos premat, & alimentorum cauſa cogantur terram ſuam vendere, tunc duas partes fundi mariti, & tertiam uxoris vendant. Si verò maritus nulla bona vel immobilia vel mobilia habeat, liceat ipſi vendere de uxoris bonis in anno ad ſex marcarum æſtimationem, nec plus. Hæc venditio in judicio territoriali legitimè fiet, cum cognitione neceſſitatis ad hoc eos compellentis.

XXVIII. CAP.

Si maritus aufugiat ab uxore, aut uxor à marito, quomodo terra eorum tunc vendenda ſit, ad alendum relictos cum liberis.

Si aufugiat maritus ab uxore, vel uxor à marito, vel ad Sanctorum ſepulchra peregrinetur, & liberi, quique domi remanent, egeant alimentis, habeat poteſtatem domi relictus vendendi de bonis ad pretium pro alimentis accipiendum: quod hîc fœmina facit, tam

ratũ ac firmũ erit, quàm quod vir, in hoc casu; & duæ partes decedãt de mariti bonis, tertia verò pars de uxoris bonis soli. 1. §. Constante matrimonio stabit conjugalis emptio & venditio inter virũ & uxorẽ.

XXIX. CAP.

In omnibus adquisitis bonis maritus habebit duas partes, & uxor tertiam partem, sive emant, sive vendant.

OMne quod maritus & uxor conjunctim emunt, tam in rebus soli, quam mobilibus, dum in conjugio degunt, uxor tertiam partem & maritus duas partes ex vendito habebit. Si dividant tam venditum, quàm emtum, uxori tertia pars attribuetur, & duæ partes marito.

XXX. CAP.

Si unus in lite de fundis provocet ad authorem suum à quo sibi eos adquisivit, alter ad paternam hæreditatem, quomodo hoc dirimi debeat inter utrumque, & de juramento virorum lineæ paternæ. Et si plures authores sint, quomodo tunc dominii translati authores prodire debeant; & de sequestri sententia.

SI duo litigent de uno fundo, & unus provocet ad paternam hæreditatem, & alter ad authorem suum à quo accepit terram, tunc author ejus prodibit: qui si jus dominii terræ transferendi adserere possit, habeat ille terram qui adquisivit; si non possit, defendat alter, & probet testimonio propinquorum ex paterna linea, & XII. virorum juramento, qui ad paternam hæreditatem provocat. 1. §. Si ambo ad paternam hæreditatem provocent, illi facultas sit præstandi juramenti qui possidet, hoc modo: Precor ita mihi Deum propitium, ut hæc bona sunt mea paterna vel materna bona, nec mei parentes vel ego, vel alii nostro nomine acceperunt pro iis pretium aut refusionem in empto aut permutato, nec hypothecæ obligarunt aut donarunt: ita me Deus adjuvet in corpore

& a-

& anima. 2. §. Si plures adsint adquisitores, qui à suis authoribus invicem acceperunt, & ordine, re ad se invicem deducta, examinentur, & quilibet recognoscat aut fateatur pretium suum quod dedit pro re adquisita, tunc mulctetur ille tribus marcis qui damnatur rei non evictæ venditæ. Si author rei in alium translatæ sit in regno & territorii jurisdictione, accedet & comparebit intra tres juridiciales dies. Si sit in regno, sed extra provinciam & jurisdictionem, comparebit intra novem hebdomadas. 3. §. Si extra regnum sit, in ministerio domini sui, vel in peregrinatione devotionis causa versetur, vel commerciorum causa naviget; ea lis in suspenso erit, & pensiones illius terræ in sequestratione ponentur, donec possessor intra novem hebdomadas domum redeat: tunc de dominii jure respondebit. Si deficiat qui dominium fundi in alium transferre potuerit, tunc ille mulctetur pro illegitima usurpatione, qui alienam terram coluit, & reposcat ab eo pretium, qui ei non evictum tradidit. 4. §. Si adquisitor intra regnum sit, & ob impedimenta comparere non possit, ut ante dictum est; illa lis in suspenso erit, donec author evictionis præstandæ redeat, & in tribus legitimis judiciis postea de evictione vel dominii jure respondebit. Et tunc duo impedimentorum testes aderunt, ut lex ait, & jurabunt quod comparere non posset propter dicta necessaria impedimenta. Nec cuiquam sit potestas bona soli vel reditus in suspensum vel sequestrationem damnandi, dum possessor judicio se defendere paratus est: si ita judicetur, nullas vires habeat.

XXXI. CAP.

Quomodo liberi aut propinqui debeant senes & debiles parentes alere, & quid illis pro ea sustentatione debeatur. Mulcta ejus qui detrectat alere.

Si viro aut fœminæ senectus vel morbus accidat, liberi tenentur eos sustentare & alere ad diem mortis, sive plus, sive minus possideant. Si quis habeat liberos, unum, duos aut plures, debet in judicio liberis suis terram suam offerre & denunciare. Si liberi sustentandi curam suscipere velint, debent ipsum alere pro tribus marcis quotannis, si mobilia exstent; si illa non exstent, tantum terræ ca-

pere possunt ; quanti tres marcæ quotannis æstimari queunt pro alimentis. 1. §. Maximus natu filius aut filia primò debet alere ac sustentare parentes, & deinceps reliqui pro ratione ætatis. Quilibet liberorum tenetur patrem ac matrem sustentare, donec tantum consumptum sit, quantum ex hæreditate defunctorum capere possit, soror sororis partem, & frater fratris partem. Si quis liberorum alendi curam suscipere nolit, & hoc in judicio per testes probari possit, atque deinde alius liberorum alimenta præstet ad vitam usque, ex indiviso capiat defunctis parentibus expensas pro alimentis, etiamsi non plus sit in bonis: Si plus sit,quilibet partem suam plenè capiat post defunctum. 2. §. Eadem lex erit de propinquis, si non exstent liberi, ut modò dictum est. Ad eum onus sustentationis proximè spectabit, ad quem successionis emolumentum proximè spectat. Si quis dicat : *Ego æquè alimenta mea obtuli, atq; tu tua*; hoc stabit XII. in judicio testimonio, sex ab utraque parte. 3. §. Hæredes tenebuntur alere parentes egenos aut senio confectos, si possint, sive aliquid in bonis habeant parentes,sive non. Quicunque filiorum aut filiarum eijcit patrem aut matrem, mulctetur tribus marcis quotannis, quæ vero actori addicentur. Si verò moriatur, antequam consumptum sit quod pro se dare promiserat, recipiat alimenta præbens impensam alimentorum; reliquum in divisionem veniat, quod superest de defuncti bonis. 4. §. Nemo potestatem habeat terram suam offerendi vel donandi aliis pro alimentis suis, nisi legitimis hæredibus.

XXXII. *CAP.*

Si duo pagi litigent de terra, & quidam vicinorum renuncient isti liti.

Si duo pagi litigent de unâ terrâ, & unus vicinus renunciet isti liti, qui possessor est in illo pago ;hoc tenetur in judicio facere, antequam appelletur: Si pagus unus lite cadat,impunis sit, qui renunciavit: Si verò vincat pagus, exclusus sit tam mulcta, quam fundo, qui ipse renunciavit. Si prius appellet, & postea renunciet liti,antequam finiatur, mulctetur tribus marcis,& separatus ab illis sit, sive vincant, sive succumbant liti.

XXXIII.

XXXIII. CAP.

Quomodo Societas vel communio contrahenda, ſervanda & diſſolvenda ſit.

SI quis communionem bonorum aut fundorum cum alio conſtituere velit, aderunt ſex poſſeſſionati viri, tres à cujuslibet parte, illi probabunt tempus initi hujus contractus ſervandum. Lucrum & damnum bonorum inter utrumque commune erit. 1. §. Si tempus hujusmodi communionis finitum ſit, & ſinguli bona ſua dividere velint, & unus plus, alter minus ſibi de illis vendicare velit, hoc ſtabit ſex virorum, qui aderant conſtitutæ communioni, teſtimonio, & ſecundum illorum teſtationem diviſio fiet. Si poſtea alter pro altero detineat ſuam partem, nec ſecundum eorum teſtimonium & plenum jusjurandum expromere ac reddere velit, mulctetur tribus marcis pro detentione. 2. §. Si quis ſocietatem diſſolvere velit ante tempus contractus finitum, ſolvat tres marcas de ſua propria pecunia, & ita diſſolvat. Deinde quilibet ſuum retineat ſecundum communionis contractæ teſtes.

TITULUS V.

DE JURE ÆDIFICANDI.

1. *QUomodo ruſtici debeant novum pagum exſtruere, & uſurpare veterem indiviſum; & quomodo pagus ad æqualitatem redigi, limites & viæ disponi debeant.*
2. *Quomodo novæ viæ faciendæ, & veteres obſtruendæ ſint.*
3. *Quomodo pontes exſtruendi & reficiendi, viæ purgandæ ſint, & de damno in illis facto. De pontium inſpectione, & mulcta negligentium exſtruere pontes.*
4. *Quomodo fundi ſint dividendi, pagus ad æqualitatem redigendus, & de diſpoſitione.*
5. *Quomodo quilibet in fundo ſuo ædificare debeat. De obſtaculo in fundo. de additamento, & fundi ſitu ad viam publicam. Si quis ædificare velit in campo, in quo paſcuntur porci. & quamdiu ædes in alieno ſolo ædificatæ ſtare poſſint, poſtquam pagus ad æqualitatem redactus eſt.*

6. *Agri*

6. *Agri & prata dividi debent juxta situm fundi aut villæ; & quantum debeat esse augmentum.*
7. *Quomodo viæ aut fossæ faciendæ sint in agris & pratis.*
8. *De sepimento & legitima custodiâ vel cura agrorum, & inspectoribus eorum.*
9. *Si armenta damnum inferant agris, quomodo illud luendum sit. & si quis raperit sepem aut combusserit. Quando sepes probatæ erunt vere & hieme.*
10. *Quomodo armenta legitimè includenda, usurpanda, nec malè tractanda sint. Quomodo de illis lege agendum sit ab utraque parte, tam possessoris agri, quàm pecoris.*
11. *Quomodo silvæ glandiferæ possessores dividere, & immittere sues in eam debeant.*
12. *Si sues oberrando inter silvas pascantur, quid tunc juris sit.*
13. *Si agricolæ segetem aut fœnum invehere velint, ex alieno agro prius demetendum, & prato resecandum est. & de vehiculari portâ.*
14. *De cespitis sectione, margine agri & fossa. & si quis seminet in alterius inculto agro. Quamdiu legitima sepes & custodia sit habenda circa agrum & pratum, & de separata parte terræ in alieno pago sita.*
15. *De familia conductitia, & tempore conductionis.*
16. *Si quis usurpet aliena loca metendo aut secando in agro vel prato.*
17. *De novæ sepis erectione, & usurpatione alieni prædii aut fundi.*
18. *Si quis cædat ligna cremialia in aliena silva, decorticet arbores, decidat frondium struem, secet fœni struem, cædat corylum aut novellam quercum, aut quercum vel fagum fructiferam, decorticet fagum, cædat pomos, quomodo talia sint inhibenda*
19. *Nemini licet cædere aut venari in indivisa silva, nec colono avehere aut vendere, absq; proprietarii venia.*
20. *Pœna ejus qui cum plagis & tendiculis ingreditur alienam silvam.*
21. *Quomodo luporum venatio publicâ sit instituenda, & lege persequenda, nisi observetur.*
22 *Quomodo luporum plagæ sint in promptu habendæ.*
23. *De capreis & alcibus, qui illas capere possint, & de venabulis pro alcibus, ubi collocanda sint, atq; si cui damnum lethiferum inde inferatur.*
24. *Quando insectari liceat asperiolos, martes & mustelas albas.*
25. *Si quis piscetur in alienâ aquâ nassis, retibus aut cassibus, in fœtura piscium aut extra eam, quomodo ille coercendus sit. Si qui dividere velint piscaturas. Quomodo fretum aut fluenta inter pagos inædificanda sint; & si quis corrumpat alterius instrumenta piscatoria.*
26. *De limitibus & prædiorum terminis, & de eorundem inspectione.*

27. *Qui*

27. *Qui limites dici debeant. Si quis eos moveat loco aut transferat absq; sententia. quomodo novi limites sint deponendi.*
28. *Si pascua vel silvæ cremialium arborum inter pagos jaceant, vel circumseptum nemus.*
29. *Si territoria litigent de universitatis vel communi terra aut silva, quomodo illud dirimi debeat: aut si quis eas usurpet aut ædificet absque venia. Quando census annuus sit pendendus & dividendus.*
30. *De tempore fœnisecii in pratis communitatis.*
31. *Si in loco communitatis habitans non possit solvere quod ex ea debet. & quod nemo talia loca emere possit.*
32. *Nemini licet in indiviso pago pascua occupare vel alias possessiones. & de silvæ exstirpatione.*
33. *Quomodo molendinum sit ædificandum, & de inspectione ejus. De operibus piscatoriis.*
34. *Quomodo ædificandum sit infra & supra, sic ut novæ structuræ non officiant veteribus. Si plures possideant fluenta, & unus ædificare velit, &c. Et quod piscatura vel aqua à priore cursu non sit avertenda vel effodienda. Item si fretum inter pagos aut territoria situm sit.*
35. *Si incendium oriatur ex incuria vel casu, & rusticus solus in pago habitet: Et quod incendium culposum aut fortuitum dicendum sit.*
36. *Si ille, cujus culpâ incendium oritur, cum alius in pago habitet, & igne deflagret pagus, homines, templum, quomodo quidvis luendum sit. Si fiat hoc à solutis personis, presbytero aut campanario.*
37. *Si molendinum incendio comburatur; & de subsidio territorii pro reficienda domo combusta.*
38. *Si quis ignem deferens in silvam, urat arbores cremiales, quercum aut fagum: quomodo quidlibet luendum sit.*
39. *De apium occupatione, & examine; quomodo capere vel occupare illas liceat, aut non.*
40. *Quid juris separatus & seorsim septus pagus* (Sveticè **Affgiärdaby**) *habeat cum proprio, patrimoniali & veteri pago* (Sveticè **Odhilby**.)
41. *Si plures possessores degant in desolato pago, & unus ædificare velit, nec plures; quomodo ei hoc lege sit concedendum, atque si plures postea ædificare velint.*
42. *Si mulier mulgeat ovem, capram vel vaccam alterius.*
43. *Si quis imponat signum alterius rei. & si duo contendant de uno signo.*
44. *Si quis pecus alterius studio occidat.*
45. *Si quis pecus alterius occidat aut vulneret casu quodam.*

46. *Si interficiat aut vulneret unius pecus alterius pecus.*
47. *Si rustici conventionem & collationem faciant pro custodiendo grege, & in eo damnum fiat.*
49. *Si quis decorticet libros, defringat scopas ex quercu, vel myrtum in alterius silva colligat.*
50. *Quomodo horti lupularii sint instruendi & servandi in regno.*
51. *Si quis impellat armenta in alterius insulam absque venia.*
52. *Si quis emat gregem ex morbido pago.*
53 *Nemo debet alterius jumenta vel armenta, navigium aut instrumentum domesticum capere & usurpare absque venia aut conductione.*

I. CAP.

Quomodo rustici debeant novum pagum instruere, vel usurpare veterem indivisum; & quomodo pagus ad æqualitatem redigi, limites & viæ disponi debeant.

Si rustici de novo velint instituere pagum, vel si jaceat in veteri divisione & asperitate soli ac desolatione quadam, quilibet aratam suæ terræ partem conserere debet, & postea nova fiet divisio. Si quis colet terram secundum veterem divisionem, postquam nova accessit, † mulctetur pro usurpatione, quilibet ratione culpæ. Æquabitur autem una quarta pars fundi alterius quartæ divisioni, * & dimidius pagus dimidio; & tunc pagus ad æqualitatem redactus est. Circa eum collocabuntur quatuor limites ratione fundi prædii, & quatuor ratione viæ vehicularis; tunc iste pagus viis instructus est. Viæ autem publicæ x. ulnas latæ erunt: una ad pagum ferens, altera ab eo, salvo quod plures viæ esse possint ad unum pagum, si pagani ipsi velint. Habeat viam vehicularem tam ille pagus, qui pro minori computatur, quàm qui pro majori: non debent omnes unum arctare. Si coloni velint plateam vel viam pub. per pagum collocare, hoc liberè facere illis permittitur, si inter ipsos ita conveniat.

† *Confer. cap.* 1. Byg. Bl. §. 2.
* *inf. c.* 4. §. 1. *h. t.*

II. CAP.

Quomodo viæ novæ faciendæ, & veteres obſtruendæ ſint.

QUisquis viam publicam obſtruere, & aliam novam facere vult, ille prius in judicium veniet, & ſententiam capiet ad viam ſternendam ab illo loco, in quo prius ſita erat. Ille ſternet eam ad pagum villæ ſuæ æquè directam & æquè bono loco ſitam, atque prius ſita erat. Qui non ita facit, ſed deſtruit antiquas vias, & antiqua loca januarum ad ſeptos agros vel prata, absque judiciali ſententia, mulctetur tribus marcis, & relinquatur ſuo loco via, in quo antea ſita erat. 1. §. Curam habeat quisq; viarum, pontium & ſepti agri januarum, pro ſitu & ratione prædii aut villæ ſuæ.

Confer art. 23. Form. regim. & Stiernhöök Iur. vet. Sveogoth. 2, 8.

III. CAP.

Quomodo pontes exſtruendi & reficiendi, viæ purgandæ ſint, & de damno in illis facto. De pontium inſpectione & mulcta negligentium exſtruere pontes.

OMnes tenentur pontes facere, & vias inſtaurare ac purgare, (*p*) tam qui minus quàm qui plus poſſidet in pago, quilibet pro poſſeſſionum ſuarum quantitate. 1. §. Si pons ad ædem ſacram ferens, fractus & neglectus jaceat per unum diem Dominicum, ſit mulcta ſex orarum vel ſeſtertiorum, ſic pro ſecundo & tertio die; & hæc mulcta ſolius actoris (*q*) propria erit. Ille mulctetur qui non exſtruxit pontem, & ille ſit impunis qui exſtruxit pro quota poſſeſſionis ſuæ in pago. Pons ad templum ducens quinque ulnas latus erit. Si diutius quàm per tres dies Dominicos non refectus jacuerit, erit mulcta trium marcarum in tres partes diſtribuendarum. Eadem lex erit de ponte pecuario & molendinario. 2. §. Pontes provinciales, per quas populus tranſire debet, decem ulnas lati erunt. Si pons provincialis, quem plura territoria quàm unum ſternere debent, ſi per tres continuos dies Dominicos invius jaceat, tunc illud territorium, ad quos pons iſte pertinet, mulctetur XL. marcis tripartiendis actori, Regi & territorio, ſi pons ſit indiviſus. Si verò ſit in certas partes diviſus, & quodlibet territorium ſciat ſuam

partem fabricandam, quidam autem fabricare velint, quidam negligant, & dimidius pons irreparatus jaceat, ut dictum est, mulcta sit xx. marcarum tripartitò: si quarta pars pontis infecta jaceat, mulcta sit xx. marcarum tripartitò. quodcunque territorium neglectui habet ædificare, mulctetur ut dictum est; & extra mulctam sint, qui ædificarunt. 3. §. Ubicunque pons territorialis per tres dies Dominicos totus infectus jacet, quẽ universũ territoriũ instaurare tenetur, mulctetur xx. marcis: si dimidi⁹ infectus jaceat, mulctetur x. marcis: si quarta pars infecta jaceat, mulctetur quinq; marcis tripartitò. Si pagus deses nolit cũ terrritorio facere pontẽ, mulctetur trib⁹ marcis: & rusticus deses sex sestertiis vel oris, à rusticis, qui ædificarunt, capiendis. 4. §. Si pons auferatur exundante aquâ vel igne consumatur, eoque transitus impediatur, ubicunque positus fuerat inter pagos aut villas, territoria aut regiones, ibi pontonem & ratem ad transvehendos viatores habebunt, donec pons reficiatur. Quod si non fecerint, mulctabuntur pro qualibet hebdomade, qua pontonem adhibere neglexerunt, cum damni inde orti refusione. Si non exstruatur pons intra unum mensem, postquam diluvium recessit, & tempestas ita comparata sit, ut per eam liceat exstruere, maxima pro neglectu est irroganda mulcta, ut ante definitum est, ex sententia XII. virorum, in hac causa neutralium. 5. §. Si quis in ponte damnum patiatur & inde moriatur, mulctetur decem marcis ille qui curam pontis habere debebat, & eam capiat defuncti hæres solus. Si equus in ponte crus frangat, jumentum vel aliud animal quod non sit esui aptum, & ita moriatur, mulctetur quarta parte pretii quo æstimari queat; si comestibile sit, mulcta dimidio minor sit. Si quoque equus, vel aliud quod victui humano non sit idoneum, insanabile damnum accipiat, nec tamen mortem, mulcta sit ut prior. Si non incurabili damno afficiatur, vel esui conveniat, mulcta erit octava pars pretii ejus. Si damnum contingat ad pontis terminum, eadem lex esto. 6. §. Lex etiam eadem erit de via provinciali, judiciali, ad templum vel molendinum ducente, si non eradicatæ vel pontibus instructæ sint, ubi paludes sunt vel alia impedimenta. Omnes viæ ad sex ulnas in latitudinem [r] exstirpatæ & complanatæ erunt; & ille actor erit, qui primum de eo querelam movet, si non sint ita complanatæ. Ubicunque quis reus sit pontium aut viarum neglectarum, & mulctam non sponte & irrequisitus solvit, judicialiter conventus solvet & tres marcas Regi, actori & pontium inspectoribus.

7.§ Pontium inſpectiones binæ erũt quotannis, una circa feſtũ Walburgis, altera circa feſtũ Michaelis, nec plures: niſi verus actor ſit damnũ paſſus in põte; tunc præſes judicii territorialis XII. virorum inſpectionẽ ex illo territorio deſignabit. Si inſpectores damnẽt neglectæ refectionis pontis, mulctabitur ille qui pontem reficere tenebatur, & æſtimabitur damnum, prout antè dictum eſt, ſive hominibus, ſive pecoribus damnum illatum ſit. Si inſpectores ſanctè vel juratò affirment ibi pontem eſſe exſtruendum, ubi antè non fuit, poſſeſſores vel ad quos ea res pertinet, menſtruum ſpatium habebunt ad illum pontem exſtruendum. Si non interea exſtruant, mulctentur tribus marcis, Regi, actori & territorio ſolvendis.

(p) *Quia pontes & viæ ad omnium uſum ſpectant.* *Vid. c. 2. §. 5.* Kirkio B. *c. 23.* widerbo *UL. & c. 18. §. 1. eod. tit. HL.* *Eximuntur tamen huic oneri Sacerdotum, Sacellanorum & Campanariorum prædia, ut & operis diurnis ac veredorum præſtationibus.* art. VII. Privil. Epiſcop. & Cleric. de A. 1650. & art. VII. Cauponum & diverſoria præbentium Ordinat. de A. 1664.

(q) *Actor hîc erit, qui primus conqueritur, ſi viæ jaceant inexſtirpatæ & ineradicatæ, ut dicitur in §. 6. h. tit.* Wari thẽn målsäghande/ ſom förſt åkärer/ om the orÿddc ära.

(r) *In. §. 6. hujus cap. III. hæc exſtant verba:* Skulo alle wägha ſex alna högt ryddc wara. *Högt non hîc altitudinem, ſed idem quod ad ſummum vel ad minimum ſignat & valet. Nam ordinaria latitudo viarum publicarum priſcis erat ſex ulnarum: quum olim uſus magnorum curruum ignoraretur, & equitandi uſus frequentior eſſet. Alioquin ruſtici ſolent vulgò dicere:* Quarnſtenen är tre alnar hög/ & intelligunt, *lapidem molarem tres ulnas eſſe latum.* ex interpretatione Ol. Verelii.

IV. CAP.

Quomodo fundi ſint dividendi, pagus ad æqualitatẽ redigẽdus, & de diſpoſitione.

Fundus dividendus eſt ſecundum menſuram pagi & æſtimationem pecuniæ, ſecundum trientem, ſolidum, & marcam terræ, ſecundum octonarium & quaternarium terræ. Ibi quisque ſuam partem occupabit, quam in pago poſſidet, & quisque ſuam partem curabit, ſive plus ſive minus poſſideat. Nemo debet alteri ſuam partem præripere, niſi legitimâ mulctâ plecti velit. 1.§. Nemini etiam licebit pagum in æquales partes dividere, niſi quartam poſſideat in pago. Si nemo quartam poſſideat in pago, tunc ei liceat æqualem diviſionem inſtituere, qui querelam movet & damnum patitur. Ille de diſpoſitione partium fundi conſtituet, qui plus poſſidet in pago. Nemo poteſtatem habebit illum pa-

gum de integro dividendi, qui in vera solari divisione, juxta situm fundi facta jacet * ; nisi fiat cum omnium possessorum consensu. Omnes qui in pago habitant, sint securi de dispositione ac situ fundi, agris & pratis, donec quis alteri litem jure moveat. †

* *Vid. Lexic. jur. in* Solstipt.

† *c. 30.* Jord. *de jur. agrar. LL. c. 43. §. 1. de jur. ædific. LL.*

V. CAP.

Quomodo quilibet in fundo suo ædificare debeat. De obstaculo in fundo. de additamento, & fundi situ ad viam publicam. Si quis ædificare velit in campo, in quo pascuntur porci: & quamdiu ædes in alieno solo ædificatæ, quietæ stare possint, postquã pagus ad æqualitatem redactus est.

Si rustici velint ædificia in fundo suo exstruere, & tam propè alios ædificent, ut eis non relinquatur spatium pro fulcimentis domus (*s*), nimirum una ulna cum dimidia in cujuslibet fundo; illi demoliantur ædificium & loco moveant, & mulctentur tribus marcis tripartitò. Si quis ita ædificans habeat ædificationis vel veniæ testes, ædificium pro eo subsistat: Si neutrum producere possit, tollat ædificium, & mulctetur ut dictum est. 1. §. Si collis aut rupes in fundo jaceat, & possit frangi vel comburi, domui includi vel usurpari, hoc pro dimidia parte computabitur ad mensuram & spatium fundi, quatenus utile est, pro dimidia, non computabitur, quasi extra spatium fundi. Si nulli sit usui, omne est extra mensuram fundi. Si rivus sit in fundo & possit circumvallari aut puteali tegi, pro dimidio computetur ad mensuram & spatium fundi, pro dimidio extra eam; si non sit ei usui, omnis sit extra mensuram. 2 §. Additamentum de pago adijcietur, quando ad legitimam dispositionem ac situm, & veram solarem divisionem venit; tunc illi additamentum vel augmentum inter se distribuent, qui obstaculum vel impedimentum habent in fundo: Illud augmentum addetur ejus fundi portioni, qui in eo impedimentum habet. Si quis ita includat & exstruat domos ac ædificia, ut impedimento sint viis vehicularibus aut publicis, inspectores à judicio nominabuntur, qui pro dimidia parte actoris, & dimidia parte rei sint.

Absol-

Abſolvitur reus ab inſpectoribus? ſit abſolutus, damnatur autem? tollat ædificia dicta, & mulctetur ſex marcis. Fundus quidem excurrere poteſt ad viam publicam, ſed viæ publicæ nullum afferet impedimentum. 3. §. Si via currat per pagum, & ruſticus poſſideat fundum ex utraque parte viæ, nec in fundo ſuo ædificare poſſit,niſi viam & ædificia conjungat, liceat ei occupare viam vehicularem ad partem fundi, & aliam viam loco viæ vehicularis aſſignare, ita ut æquale reddatur pro æquali, & poſtea ædificet in illâ viâ occupatâ pro lubitu. 4 §. Si quis malit in campo paſcuis porcorum deſtinato ædificare, quàm in fundo; petat iſtum locum à compoſſeſſoribus ad diviſionem,& ædificet in ſuâ ipſi attributa parte, nec plus. 5. §. Si pagus in æquata & vera ſolari diviſione ſtet,tunc, qui in alieno fundo ædificatam domum,per iſtam æquationem,uſu quodam cepit,eam per triennium quietè poſſideat: Si intra triennium ædificium tollere poſſit,impunis ſit. Si non tollat,nec veniam aut conductionem pro ſe habeat,fundi dominus deſtruet impunè domum, & alter mulctabitur tribus marcis.

(s) *& pro ſtillicidio. c. 2. §. 1. Byg. WL.*

VI. CAP.

Agri & prata dividi debent juxta ſitum fundi aut villæ; & quantum debeat eſſe augmentum.

Quando pagus ad æqualitatem pervenit, & veram ſolarem diviſionem,fundus eſt agri mater. Tunc fundus eſt agri mater [t] i.e. ager diſponendus eſt ſecundum villæ fundum, & [u] anterminibus additamentum dandum eſt, pes ab interſtitio parvo juxta agrum, in quo interſtitio *aves* congregari ſolent, duo pedes à ſemita, & tres à via regia, ſita inter templum & emporium. Secundum diviſionem agri fiet diviſio prati, ſecundum diviſionem prati diviſio in ſilva, ſecundum partitionem ſilvæ partitio arundiniferæ ripæ. partes ripæ ad aquam protenduntur, aquam debet rete aut verriculum diſtribuere. Ubi lapides non poſſunt evidenter poni,perticæ partes ripæ diſcernere poſſunt.

(t) *Vid.Lexic. Iur. in* Tompt. (u) *Antermines ſunt* andalaria / *qui ad terminum aut finem ſundorum agrum ſuum habent.* Lexic.in andalaria.

VII. CAP.

Quomodo viæ aut foſſæ faciendæ ſint in agris & pratis.

Quan-

Quando agrum juxta fundum dividere volunt, & divisionis terminos aut signa apponere, potest fieri, ut via publica per conseptum agrum procurrat; si ager lateraliter juxta viam protendatur, via decem ulnas lata erit, & trium pedum quælibet via juxta viam publicam. Sit extra computationem partium pagi; deinde dividatur secundum divisionem fundi. Si ager protendatur unà cum sepe vel fossâ, duo pedes augmenti loco adijcientur. Si fossa sita sit inter sepem & agrum, & ager protendatur simul cum fossâ, tunc fossa extra computationem partium pagi erit. Fossa duas ulnas lata erit, & una ulna augmenti loco addetur fossæ. 1. §. Si coloni opus habeant fossa inter agros, dimidia fossa assignetur cujuslibet agro, ibi non opus est additamento. Si unus ager finaliter procurrat, & alter ex transverso fossæ adjaceat, dimidium fossæ quilibet possidebit. Iam si partes agri una vel duæ concurrant, & ambæ ad fossam excurrant, tunc quilibet pro agro suo fodere tenetur. Si vicini deijciant sudes sepis pro agro suo, secundam & tertiam, mulctentur tribus oris pro qualibet: Si totam sepem deponant, mulctentur tribus marcis. Orarum vel Sestertiorum mulctam divident vicini, tres marcæ in tres partes distribuentur. 2. §. Si fiat fossa per conseptum agrum vel pratum, & ibi alterius pagi agri & prata concurrant, pascua vel alia loca pagi; si nolint aquam emittere prædii istorum locorum possessores, resarcient damnum inde agro vel prato illatum, ex quatuor virorum æstimatione, trium marcarum mulctâ. *Confer. c. 5.* Widerbo *UL.*

VIII. CAP.

De sepimento & legitima custodia vel cura agrorum, & inspectoribus eorum.

Quando agricola ingreditur agrum cum seminis modio ad seminandum, omnes vicini debent pro excludendis porcis bene conseptum agrum habere. Si quidam hoc negligant, nec velint excludere porcos, vicini convocabuntur ad rem inspiciendam: Si ostium agri dejectum jaceat, sit mulcta trium orarum, quam capient illi quibus commune & consuetum est sepire & custodire agrum. Quando occatus est ager intra eorum custodiam, sepes sufficientes & validæ erunt. 1. §. Si verò sepes dejectæ jaceant, vicini convocati tres ad inspiciendum nominabunt, qui si damnent eum ad quem sepes pertinent, ille mulctetur tribus oris, tribus

istis

iſtis viris tribuendis. Si reus nolit iſtam mulctam ſolvere, in judicium eant, & exigant ſex oras, & tres marcas, in tres partes dividendas. 2. §. Si verò inſpectores in judicio nominentur, illi XII. viri erunt. Præſes judicii territorialis eos ad inſpectionem nominabit, de conſenſu utriusque partis. Illi duodecim ad inſpiciendum ſe conferent, ita dicentes: Nos vidimus ungularum ſolidarum & biſulcarum veſtigia, directa ad ſepis ingreſſum & egreſſum, per quam damnum illatum eſt. Hoc ſtabit eorum teſtimonio, & quem condemnabunt, erit condemnatus in tres marcas, Regi, actori & territorio dandas. Simulac inſpectores hoc viderunt, abeant & de hac re inter ſe colloquantur. quo facto, iterum revertantur ad litigantes, & confeſtim dicant, quem condemnare velint, nec id ulterius protrahant, & ſic jurent in primo Judicio. Eadem ratio erit de aliis inſpectionibus, quæ de hiſce.

Confer c. 6. Widerbo *UL.*

IX. CAP.

Si armenta damnum inferant agris, quomodo illud luendum ſit. & ſi quis ruperit ſepem aut combuſſerit. Quando ſepes probatæ erunt, vere & hieme.

Si armenta veniant per ſepes non ſufficientes, & damnum inferant gramini aut ſegeti, poſſeſſor ſepis ſegetem pro ſegete, & fœnum pro fœno reddet, ſecundum quatuor virorum æſtimationem. Si nolit ſolvere mulctas pro conſumtis à pecore frugibus; & ſepem ſuam ſponte reficere, tunc actor cum quatuor viris curabit omne damnum æſtimari: atq; ſic in proximo judicio legitimo omnes conſumtionis mulctas, & ſimul damnum pro ſe exiget, & tres marcas tripartiendas. 1. §. Quando pecus intrat agrum, & damnum à pecore agro illatum æſtimari non poteſt, tunc reſarciatur legitima æſtimatione, quatuor nummis pro bove, ſic pro ſecundo & tertio, ſic etiam pro ove aut capra, duobus nummis pro uno anſere, & ſic pro ſecundo ac tertio. Nec poteſt hæc mulcta eſſe major, licet plura fuerint pecora; niſi damnum æſtimari poſſit, tum reſarciatur, ut ante dictum eſt. Eadem lex ſit de equis, equabus vel porcis, ſi damnum non ſit æſtimabile. 2. §. Si quis diſſringat aut dejiciat ſepem, & in ipſo facto deprehendatur, mulctetur tribus marcis; ſi

non deprehendatur, purget se sex virorum juramento. Si quis combusserit alterius sepem casu quodam, mulctetur sex oris, & restituat sepem tam bonam, quàm ante fuit. Si non possit juramentum de casu præstare, reficiat sepem, & solvat tres marcas, vel purget se sex virorum jurejurando. 3. §. Si quis rescindat alterius sepem & domum suam vehat; si deprehendatur, is qui deprehendit, adimat ei securim, vel aliud, intersignii loco, & ille mulctetur tribus marcis, qui sepem conciderat. Iam inter se contendunt, ille qui caruit securi, dicit sibi furto vel spolio esse ablatam, alter neget, standum est dicto ejus qui intersignium cepit. Si quis perticam tollat ab alterius sepe, deprehensus solvat oram pro prima pertica, secunda & tertia; illa mulcta non sit major. Si non palam deprehendatur, proprio jurejurando se purget. 4. §. Circa diem Walburgis omnes sepes sufficientes & probatæ erunt: Si non ita sint, mulctæ ante dictæ locus erit. Sit eadem lex de semente hyberna, secali & tritico, ut pro porcis excludendis sit conseptus ager S. Matthæi die, & probatæ sepes circa festum Michaelis. 5. §. Si quis equum suum in alterius pratum vel conseptum immittat, aut pedicis constringat, ad istic pascendum, mulctetur tribus oris, vel probet veniam [x] aut conductionem.

(x) *Vid. Synops. jur. Diss. V. Qu. 7. & Diss. XXVI. Qu. 8.*

X. CAP.

Quomodo armenta legitimè includenda, usurpanda, nec malè tractanda sint Quomodo de illis lege agendum sit, ab utraque parte, tam possessoris agri, quàm pecoris.

Si armenta agro vel prato expulsa, includenda sint, liceat equum vel equã inducere ad includendũ custodiæ, nec equitãdo rumpere aut lædere, bovem aut vaccam impellere, non verò malè tractare vel occidere (y). Si etiam ex divisa silva armenta sint includenda, non malè tractanda sunt; sed qui inclusit, curam eorum habebit, donec possessori legitimè indicarit. Si percutiat pecus pejus quàm velit, & illud inde patiatur mortem; vivum reddat pro mortuo, tam bonum quàm alterum erat, ex duorum virorum æstimatione. 1. §. Si proprietarius ad inclusum pecus redimendum

dum veniat, & offerat quod ipsi justum videtur, alter verò qui inclusit, restituere recuset; tunc ille qui sibi pecus reddi petit, secum ducat duos possessionatos viros, & tradat agricolæ pignus pro pecore suo. Si ne tunc quidem restituere velit, collocet pignus apud alios viros cum duorum virorum testimonio. Si adhuc deneget & detineat per unam noctem pecus, probet ille, cujus est pecus, nimiam vel iniquam detentionem per testes, & detentor mulctetur tribus marcis. Si quid jumentorum interea moriatur, reddat vivum pro mortuo æquè bonum, secundum virorum æstimationem; & insuper tres marcas. 2. §. Si verò inclusum pecus proprietarius non repetitum veniat, includens hoc denunciabit coram vicinis & compaganis suis. Si ne tunc quidem adveniat proprietarius, includens curam pecoris habebit. Jam incipiunt contendere; proprietarius dicit: tu clam inclusisti meum pecus: tunc includens pecus per duos viros probet, quod illud expulsum agro vel prato suo, vel divisâ silvâ, incluserit, & quod id legitimè indicarit vicinis suis. Si non hujusmodi quid factum sit, resarciat damnum, si quod passum sit pecus, & insuper tres marcas solvat; quia non legitimè incluserat. 3. §. Jam si unus dicat ex pascuis inclusum esse, alter ex agro, vel prato, vel silvâ inclusum esse; probetur hoc per duos viros præsentes & videntes, quod intra conseptum locum hoc ceperit. Si deficiat in probatione, reddat æquè bonum cum tribus marcis. 4. §. Si quis indomitum pecus aut jumentum possideat, quod effringat sepem aut transiliat, & inferatur ab illis damnum agro vel prato; resarciat ille damnum, ad quem jumentum pertinet, secundum bonorum virorum æstimationem, & mulctetur sex oris. 5. §. Si pecus in sepe mortuum pendeat, & reperiatur ille qui data opera sepi injecit, resarciat illam jacturam legitima refusione: Si talis, qui sic injecit, non reperiatur, impune sit. Si quis ejus facti insimuletur, & neget, purget se sex virorum juramento. 6. §. Si quis universum capiat, custodem gregis & gregem in agro vel prato, duobus præsentibus testibus, solvat ei tres marcas, cujus grex est. 7. §. Quisquis furatur aut rapit inclusum ab includente, priusquam legitimè sit redemptum, solvat tres marcas, si duorum virorum testimonium adsit: vel purget se sex virorum juramento qui rapinæ insimulatur, quod nunquam ei rapuerit inclusum, vel exemerit.

(y) *Vid. Synops. jur. Disp.* XXVI. *Qu.* X.

XI. CAP.

Quomodo ſilvæ glandiferæ poſſeſſores dividere & immittere ſues in eam debeant.

Si ruſtici glandiferam ſuam ſilvam in pace *(z)* vel ſecuritate tueri, & ſues in eam dividere & ad paſcendum immittere velint, hoc facient ſecundum trientem ſolidum, marcá terræ & octonariũ, prout quilibet in ſilva poſſidet. 1.§ Si quis poſſeſſorum non habeat ſues ad immittendum vel impellendum, & reliqui impellant in conſtitutam ſibi partem, tunc ejus, cui deſunt ſues, portione glandiferâ licitè frui poſſunt. Si quis plures porcos impellat, quàm ejus portio permittit, ſolvat tres marcas, & reſarciat damnum pro æſtimatione bonorum virorum. 2. §. Si verò impellat aliquis ſues in ſilvam, in quâ nihil poſſidet, nec à ſilvæ poſſeſſoribus quicquam conceſſi juris aut dominii habet, amittet porcos ſuos pœnæ locò.

(z) *Lexic. jur. in v.* Helgd *inſpiciatur.*

XII. CAP.

Si ſues, oberrando inter ſilvas, paſcantur, quid tunc juris ſit.

Si porci vagando ultrò citroquè inter ſilvas paſcantur, & dominus ſilvæ moneat porcorum poſſeſſorem, una atque altera vice, ut porcos ſuos cuſtodiat, ſic non mulctabitur; niſi ſilva fuerit conſepta. Si redeant tertia vice, includat eos cum duorum virorum teſtimonio. Deinde legitimè hoc indicet porcorum poſſeſſori, & quilibet eorum ad hoc nominet tres, proprium domicilium aut poſſeſſionem habentes, ac vicinos. Illi ſex contemplentur domini ſilvæ damnum, & alterius commodum in porcis ſuis, illudque æſtimantes, poſtea ponant inter eos certum pretium aut mercedem ſilvæ, quæ reſpondeat uſui aut fructui ejus, & ea contenti erunt, ſive remanſuri ſint porci, ſive abigendi. Si porci occidantur *(a)*, percutiantur, vel alio modo includantur & malè tractentur, mulcletur & reſarciatur illud, ut de alio pecore in lege deciditur. 1. §. Si ſilvæ eorum ita concurrant, ut porci gregatim paſcen-

pascentes ultrò citroquè inter eas cursitent, non abstrahant à se invicem, nisi quis silvam suam sepibus secludat: ita tamen ut alter alteri reddat æquale, prout in silva possidet, & sex viri inter illos æstimationem faciunt.

(a) Confer. c. 44. 45. hujt. & vid. limitat. in c. 6. §. 1. Weberbo HL.

XIII. CAP.

Si agricolæ segetem aut fœnum invehere velint, ex alieno agro prius resecandum, & prato demetendum est. & de vehiculari porta.

Quando seges alicujus invehenda est, frumentum prius resecandum est ex alterius agro, & in manipulos colligandum, & spicæ sublegendæ sunt, & deinde impune transvehere licet. Ita in prato prius demetendum est fœnum & corradendum, & postea liberè transvehatur. 1. §. Quisquis vehit per agrum non resectum & spicas non collectas, mulctetur tribus marcis pro una parte, sic pro altera & tertia; ista mulcta non sit major. Eadem ratio est de prato, si quis per tres partes non demessas vehat, solvat novem marcas tripartiendas. 2. §. Vehicularis porta pertinet ad omnes [b] in pago habitantes; si damnum vel ruptura per eam appareat, & aliquis ejus insimuletur, sed fateri nolit, purget se sex virorum juramento: Quod si præstare possit, impunis sit, & omnes vicini damnum resarciant; si non possit, solus illud resarciat.

(b) Sed c. 9. §. 1. Widerbo hoc solis anterminibus pro additamento imponit.

XIV. CAP.

De cespitis sectione, margine agri & fossa: & si quis seminet in alterius inculto agro. Quamdiu legitima sepes & custodia sit habenda circa agrum & pratum. & de separatâ parte terræ in alieno agro sita.

Nemo debet secare cespites in aliena parte terræ, vel ubi legitima divisio intervenit; quicunque hoc facit, solvat tres

 marcas

marcas pro una parte terræ vel agri, sic pro secunda vel tertia: Illa mulcta non est auctior, nisi plures actores sint. Si plures sint, ex quorum solo cespites exscindit, idem singulis solvat, quod modò dictum est. Quod si pars ista terræ sita sit extra terminos divisi pagi, in ea exscindat pro lubitu. Si quis possideat partem terræ in duobus pagis aut pluribus, non debet cespitem secare in uno loco villæ, & vehere in alium, nisi divisio facta sit; quæ si facta sit, vehat ex suo non alieno. 1. §. Margo agri & fossa erunt secundum possessiones alicujus in terminis divisi pagi. 2. §. Si quis terram incultam in pago habeat, & frumentum incidat in illam terram ex alterius semine, tunc non plus metet, cujus erat semen, quàm ipse possidet in vera parte pagi, nec circa illud sepem aut custodiam tenebit, quod in alterius terra nascitur. Si plus metat & avehat, mulctabitur legitimo modo. 3 §. Omnes legitimam sepem & custodiam circa pratum habere tenentur usq; ad festum Michaelis: circa agrum, dum semen adhuc exstat in agro. Si quis tam malè velit rebus suis, ut messem suam diutius in agro exstare sinat absque necessaria causa, & damnum messis suæ inde sentiat, sibi ipsi imputet. Si necessitatem prætendat, stabit hoc sex de paræcia virorum testimonio, dimidiæ partis Nempdæ utrimquè. Si illi dicant necessitatem in causa fuisse, resarcietur damnum secundum æstimationem ejus, ut ante dictum est. Omnes qui servant legitimam custodiam & sepimentum agrorum, sint immunes à mulcta: qui non servant, mulctentur tribus marcis. 4. §. Quando coloni, communem sepiendi & custodiendi agri curam habentes, offerunt se ad colligendum [c] & recondendum fœnum vel frumentum alterius, frumentum in acervum, & fœnum in metam vel struem erigendum, & sepe cingendum, si sic velint, nullam potestatem habeant possessores illud in agro vel prato relinquendi, in illorum detrimentum, qui sua collegerunt & recondiderunt. 5. §. Separata pars terræ, [Sveticè Urfieldh] in pago villatico sita, sive sit in agro sive prato, quantacunque sit, ita maneat. Si sepem & custodiam habeat, sit illud loco palorum & lapidum terminalium.

(c) c. 9. Widerbo UL.
(d) Lexic. in Urfield.

XV. CAP.

De familia conductitia, & tempore conductionis.

Si

Si paterfamilias virum aut mulierem conducat ad serviendum, & illis det arram, vel illius victu fruantur, & servitio exeant ante tempus conductionis finitum; patrifamilias reddant arram & mercedem pro quanta eos conduxit. 1. §. Quisquis conductam familiam alterius ad se allicit, mulctetur tribus marcis, & paterfamilias eam impunè recipiat, ut in titulo de judicio territoriali (e) deciditur. 2. §. Si paterfamilias ejiciat famulum absque causa, & ille iterum ei offeratur ad serviendum cum duorum vicinorum testimonio, & conductor eum recipere nolit, solvat ei promissam mercedem, & postea sit conductus, ubi ipsi lubet. 3. §. Si famulus aut famula patrisfamilias morbo corripi possint, & labores rustici, præsertim tempore messis recondendæ, interim intermittantur; tantum deficiat in mercede eorum, quantum in opere diurno patrisfamilias. 4. §. Termini conductionis bini erunt quotannis, unus à die Pentecostes usque ad festum Michaelis, alter inde usque ad festum Pentecostes. Septem dies & noctes inter utrumque conductionis terminum possunt vacare à servitio, nec diutius, deinde servitio se addicent. 5. §. Omnes se conduci facient, qui minus tribus marcis possident. Quisquis eos in domum suam recipit, postquam eis merces aut arra oblata est, nec eam accipere volunt, mulctetur tribus marcis. Si conducendus possideat tres marcas vel plus, nec servire velit, in dimidio tributo sit cum patrefamilias. [f]

(e) *cap. 26.* * *Vid. Synops. jur. Diss. 16. Q. 4.*

(f) *Ita vertit* Ragvald *vocem* gård; *&* Gård *pro tributo etiam alibi accipi, in Lexico Iur. notatum est. In nova Constit. R. de Serv. art. 2. sic habetur :* Uthan dhen beor å halfwa Gårde medh Bonden/och stattar therföre. *H. e. Nisi quis inquilinorum habitet in dimidiâ villâ cum rustico, & pro eâ tributum pendat.* Res eodem recidit.

XVI. CAP.

Si quis usurpet aliena loca, metendo aut secando in agro vel prato.

Si quis resecet segetem pro alio in una agri divisi parte, vel metat fœnum in una parte prati, restituet segetem pro segete & fœnum pro fœno, nullam verò mulctam pendet: Si resecet in altero, tertio, restituetur absque mulcta : si resecet in quarto, restituetur, & cum tribus marcis: sic in quinto & sexto; nec illa mulcta major erit, etiamsi opera vel usurpationes in alieno plures esse possint : Stet hoc inspectorum ad hoc nominatorum juramento. Eadem lex sit de prato, quæ de fœno.

1. §.

1. §. Si arando ducantur sulci in agro, vel si in prato, ab ordine vel termino unius perticæ positæ ad terminum alterius rectâ procedendo, hinc illinc demetatur gramen in recognitionem & normam instituendæ sectionis; si in primo ordine sit rectum, sed in medio curvatura vel denormatio [g] quædam à procedente facta sit, tunc restituat quod per hujusmodi denormationem vicino abstulit, secundum juratam assertionem æstimatorum, atque sic impunis sit. Si verò per vices hujusmodi curvatura facta sit, nihil eâ causâ restituatur vel præstetur alteri.

(g) *Confer. Lexic. jur. in* Wadha wadh.

XVII. CAP.

De novæ sepis erectione, & usurpatione alieni prædii aut fundi.

Si vicinus erigat sepem in alterius prædio, vel plures vicini qui in pago sunt, moliantur quid in alieno agro aut prato, vel sepiendo quid, vel includendo, vel raporum seminationi purgando; tribus marcis mulctetur pro uno anno. Si per plures annos iis fruatur, pro singulis annis tres marcas pendat, vel purget se sex virorum juramento. quod si præstare possit, immunis sit à mulcta, & pro iis mulctetur, in quibus palam deprehensus est.

c. 13. Widerbo *UL.*

XVIII. CAP.

Si quis cædat ligna cremialia in alienâ silvâ, decorticet arbores, decidat frondium struem, secet fæni struem, cœdat corylum, aut novellam quercum, aut quercum vel fagum fructiferam, decorticet fagum, cædat pomos; quomodo talia sint inhibenda.

Si quis cædat cremialium lignorum vehem in silva alterius viri, & in ipso actu deprehendatur, mulctetur tribus oris, sic pro secunda & tertia vehe: Si cædat quartam, mulctetur tribus marcis, si coram deprehendatur: si non, defendat se sex virorum juramento. Si quis cædat tigna in alterius viri silva, lex eadem erit, quæ de cæsis cremialibus lignis, ut dictum est. 1. §. Si decerpat ex arboribus

bus ſuber aut corticem in alterius ſilvâ, pro faſce ab uno viro portatili mulctetur tribus oris, ſic pro ſecundo & tertio: ſi quartum capiat, mulctetur tribus marcis. Si quis plauſtro, vel jumento, vel cymba avehat ſarcinam, mulctetur tribus marcis, cum omnis damni refuſione. 2. §. Si quis cædat ramorum acervum in aliena ſilva, ſecet fœni ſtruem, vel carpat cortices & in acervum comportet, atque relinquat in ſilvâ; mulctetur ſex oris, & perditione laboris ſui: Si in totum avehat, mulctetur tribus marcis & damni reſtitutione. Qui hujusmodi facti inſimulatur, nec adſunt teſtes, purget ſe ſex virorum jurejurando. 3. §. Si quis cædat in aliena ſilvâ crudam corylum vel novellam quercum, & quantum inde ſarcinâ à viro aſportari poteſt; ſi in eo deprehendatur, mulctetur tribus marcis: Si tantum cædat, quantum plauſtro vel cymbâ vehi poteſt, mulctetur ſex oris; ſic pro ſecunda & tertia vice; ſi quarta vice cædat, mulctetur tribus marcis. Si quis cædat quercum axibus aptam & craſſam in aliena ſilva, mulctetur tribus oris; ſic pro ſecunda & tertia: Si tantum cædat, ut eo plauſtrum vel cymba onerari poſſit, mulctetur tribus marcis; ſic pro ſecunda & tertia vice: iſta mulcta non ſit major. 4. §. Si quis cædat quercum aut fagum, vel arbores frugiferas, mulctabitur tribus marcis [*b*]: ſi non ſit in ipſo facto deprehenſus, purget ſe ſex virorum juramento, vel probet veniam aut conductionem à vero poſſeſſore. Si cædat decem aut plures, & palam deprehendatur, mulctetur XL. marcis: ſi deſint teſtes, purget ſe duodecim virorum teſtimonio. 5. §. Si quis decorticet quercum in alterius ſilva, & deprehendatur, mulctetur tribus marcis, ſic pro ſecunda & tertia vice. Ille verò vinctus ex ſententia judicii flagelletur, qui non poteſt mulctam ſolvere. Pro decorticatione vel ſilvæ incendio non relevat permiſſio aut conductio: Sive decorticetur ſive exuratur, eadem lex ſit. 6. §. Nemini poſſeſſorum licet crudam quercum cædere, ſive plures ſive pauciores, niſi cum omnium ſilvæ compoſſeſſorum conſenſu; Si ſecus faciat, plectetur legitima mulcta, una marca omnibus ſilvæ poſſeſſoribus pro una quercu ſolvenda, ſic pro ſecunda & tertia: ſi cædat quartam, mulctetur tribus marcis. Si ſtet quercus intra agri alicujus vel partis ejus limites aut ſepta, eam liberè cædere liceat (*i*). 7. §. Si quis cædat pomos in alterius nemore, quæ non ſint fructiferæ, mulctetur tribus oris, ita pro ſecunda & tertia: Si quartam cædat, mulctetur tribus marcis. 8. §. Si quis deprehendat alium cædentem in ſilva ſua, liceat cædenti adimere ſecurim aut veſtem; niſi habeat

veniam cædendi vel conductionem. Palam deprehensus, purgare se vel inficiari nequit. Si probare possit permissionem aut conductionem, recipiat vestem suam, & uterquè impunis sit. Si ambo contendant, unus dicat sibi raptam esse vestem, vel in propria ejus silva sibi ablatam, vel alibi; ubicunque sit, stetur verbis ejus qui intersignium cepit, quando duos testes præsentes & oculatos producere potest: Si non habeat tales, mulctetur pro rapina, & singuli pro se, secundum ante dicta. Si alleget veniam, eam per sex viros probabit.

(h) *Hodiè novem daleris probæ monetæ &c. Vid. art. 2. 3 6. 7. & seqq. ordinat. R. de Silv.*

(i) *Quia umbrâ suâ officit segetis aut graminis incremento. Virgil. x. Bucol. Nocent & frugibus umbra. Vid. art. 9 Const. R. de Silv. & arbor. fructifer.*

XIX. CAP.

Nemini licet cædere aut venari in indivisa silva; nec colono avehere aut vendere absquè proprietarii venia.

IN indivisa silva [m] nulli censuali rustico aut colono sit potestas locandi aut promittendi aliis cædere vel avehere, aut cum tendiculis ire ad insidiandum avibus aut feris, nisi cum omnium compossessorum consensu. 1. §. Nullus etiam colonus habeat potestatem ex prædio vehendi aut vendendi tigna, cortices, ligna, sudes, vel aliud tale, nisi cum proprietarii venia. Quisquis contra hæc facit, resarciat damnum proprietario, & tres marcas tripartiendas. Eadem lex esto de piscatura.

(m) *Vid. art. 15. d. Const. R.*

XX. CAP.

Pœna ejus qui cum plagis & tendiculis ingreditur alienam silvam.

SI quis intret alterius silvam cum tendiculis animo capiendi aves aut feras, restituat silvæ domino quod ibi cepit, sponte & juratâ fide, secundum æstimationem ejus, & solvat tres marcas (n) tripartitas mulctæ loco, vel purget se sex virorum juramento, quod ibi cum tendiculis non versatus sit, vel aliquod damnum fecerit.

(n) *XL. marcas hodiè. art. 2. 6. 8. de Venat. fer. & aucup.*

XXI. CAP.

Quomodo luporum venatio publica sit instituenda, & lege persequenda, nisi observetur.

Ursos

URsos, lupos & vulpes quivis ubiquè & liberè ferire potest. Regis prætor provincialis venationis publicæ quoque prætor in quavis societate venantium erit, quousque ejus prætura se extendit. Ille cum duodecim viris curabit, quanta illa societas esse debeat, & tertiam partem mulctarum omnium inde habebit. Si non ipse adesse queat, substituat suo nomine in qualibet societate venantium, unum virum ad venandum retibus, & unum virum ad venandum plagis lupos, quem velit, & qui ipsi ad hoc maximè idoneus esse videatur. Et omnis societas venatoria ipsi parebit ad omne jus venationis. 1. §. Quicunque nobilis, rusticus aut provincialis, non habet quatuor cubitorum duplicatorum longitudine plagas ad capiendum lupos paratas, quando venationi præfectus ei indicit, mulctetur tribus oris (o): menstruum habebit spatium ad parandum sibi & conficiendum rete. nisi post elapsum mensem paratum habeat, mulctetur ut ante tribus oris, & sic quolibet mense, dum nondum habet rete. Luporum rete tam validum erit, ut non rumpatur aut dissolvatur quando vir illud ascendit, aut mulctetur tribus oris. 2. §. Cuicunque indictus fuerit dies hujusmodi venationis, nec in tempore advenerit, antequam decem retia erecta sint, solvet tres oras. Si quoque non secum habeat rete, pro eo pendet tres oras. Si non eat, ac fideliter stet in illo loco quo constituitur, vel turbationem in venatione faciat, mulctetur tribus oris. Quicunque insimulatur horum facinorum, purget se juramento sex virorum è societate venatoria, vel mulctetur, ut dictum est. 3. §. Si quis reus fiat fractæ legis venatoriæ, exigat ab eo præfectus venationi vel ei substitutus mulctas, cum duorum virorum testimonio, & tertius erit qui societatis venatoriæ duas partes mulctarum capiet. Quod si intra quatuordecim dies illis non satisfecerit, ex quo monitus est satisfacere, exigetur ab eo proximo die juridico cum mulctis quod debet per præfectum venationi & societatem venatoriam; & cum tribus marcis tripartiendis, qualibet vice quando judicialiter convenitur. 4. §. Omnes retia habebunt & indictionem venationis publicæ observabunt, tam nobiles quàm rustici, provinciales & hospitia præbentes, omnes qui vaccas & sues habet, & propriam mensam, exceptis illis, quibus necessaria fuerunt impedimenta, quæ per duos testes præfecto venationi probari possint. Sacerdotes & campanarii & viduæ immunes erunt ab hujusmodi retibus & venatione. [p]

(o) *bodiè sunt sex marcæ art. 16. R. Const. de Venat.*
(p) *art. 15. d. Constit. R.*

XXII. CAP.

Quomodo luporum plagæ habendæ & præſtandæ ſint.

OMnes tenentur habere & præſtare luporum plagas ſecundum fundorum menſuram, ſemiſſem terræ, aſſem terræ, marcam terræ & octonarium, nec ſecundum viriles portiones. Et quoties venatio inſtituenda eſt cum luporum plagis, omnes paratæ & perfectæ erunt: Si quæ earum adhuc imperfectæ ſint, teſtibus ſex viris, qui venationem obierunt, mulctetur tribus oris (q) ille, cujus ſunt iſtæ plagæ, & exigatur mulcta, ut ante dictum eſt. 1. §. Si deſolata terra ſita ſit in contracta ponentium retia feris, ille ſuſtineat luporum retia qui pratum metit à die meſſis, & ſic per totum annum. Vicani etiam facient & ſuſtinebunt retia luporum cum ſuis compaganis. 2. §. Taberna venatica ædificabitur & ſuſtinebitur ex ſocietatis venatoriæ mulctis, & quod ſupereſt æqualiter dividetur inter venationis ſocios. Quælibet tetras territorii luporum retia ſemper parata habebit: Quæcunque tetras hoc omninò negligit, ſex marcis mulctabitur, inter Regem, territorium & venationi præfectum partiendis. Quisquis mandatum accipit de venatione publica obeunda, nec ſtatim ſequitur, mulctetur tribus oris, & exigatur quod ante dictum eſt.

(q) *hodie ſex marcis.*

XXIII. CAP.

De capreis & alcibus, à quibus capi poſſint; & de alcium venabulis ubi ponenda ſint, & ſi quis ab iis necetur.

NEmini licet damas ad retia compellere, niſi Regi, ubi aulam habet, in ſuos uſus, nec aliter. Si quis hoc fecerit, mulctabitur XL. marcis [r], territoriali judicio attribuendis: ex quibus Rex capiet viginti marcas, & actor decem, & territorium decem marcas. Si in recenti actu deprehendatur, mulctetur, ut ante dictum eſt. Nemini etiam licebit damas vel capreas in luporum retibus capere; niſi ſit in venatione luporum, ſub ante dicta mulcta. 1. §. Si quis plagas aut inſidias ponat urſis, lupis & vulpibus,

pibus, qualescunque insidiæ sint, & in eas incidat dama, ea impunè fruatur possessor plagarum, vel si in eo loco reperiatur, ubi lupus eam cæcidit. 2. §. Nemo etiam ponat hastam aut venabulum alcibus, quousque Svecia se porrigit; nisi velit mulctari novem marcis tripartiendis. Si vir aut mulier ab illis damnum aut cædem accipiat, mulctetur quadraginta marcis author positæ hastæ. Dalia in Westrogothia & Wermelandia, Dalia in Wesmannia, Gestricia, Helsingia & Finlandia hîc excipiuntur: illis enim permittitur captura alcium, non tamen eo tempore quo hîc prohibetur, nimirum à tempore Quadragesimali usque ad diem Olai. Hoc tempore nemini licebit persequi alces. [s]

(r) *Hodiè L. daleris pro alce & cervo, & XXV. pro dama. art. 1. d. R. Const. &c.*

(s) *nec alias majores feras, sub mulcta C. marc. c. mon. art. 9. d. Const.*

XXIV. CAP.

Quando asperiolos, martes, ermelinos venando persequi liceat.

NEmini licet in aliena silva persequi asperiolos, martes, mustelas albas aut ermelinos ante festum omnium Sanctorum. Si prius hoc faciat, & coram deprehendatur à vicinis, capiantur omnia, vir & tendiculæ, & mulctetur tribus oris, quas habebit actor. Si etiam feriat istæc animalia post Quadragesimale tempus, pariter mulctetur. quod si mulctam solvere nolit, in judicio ab eo exigatur & unà tres marcæ, tripartitò. Si non sit in ipso facto deprehensus, purget se sex virorum juramento, vel mulctetur, ut dictum est.

c. 15. §. 1. Widerbo. *UL.*

XXV. CAP.

Si quis opera faciat in alienis piscaturis cum nassis, retibus, fuscinis, tempore fæturæ piscium, vel extra id tempus, quomodo illud sit inhibendum. Si quis dividere velit piscaturas. Quomodo fretum & fluenta in-

ter pagos inædificari possint. Et si quis deperdat instrumenta piscatoria alterius.

Si quis opera faciat in aqua piscatoria alterius, perdat laborem suum & insuper mulctetur tribus marcis. Si quis collocet nassas in alterius operibus, vel demergat in alienis aquis, vel retia ponat, vel piscetur fuscinâ extra tempus fœturæ piscium, vel quacunque piscatione utatur, mulctetur tribus marcis. Si quis versetur in alienis piscaturis cum instrumentis piscatoriis, intra tempus fœturæ piscium, mulctetur tribus marcis, qualiscunque piscatio sit. 1. §. Si quis ducat sagenam in aqua piscatoria alterius, sive tempore fœturæ piscium, sive extra illud; tollat ab eo vestem, sagenam vel aliud possessor istius aquæ, pro intersignio vel judicio rei; & mulctetur tribus marcis qui absque venia utitur aliena piscatura. Si veniam aut conductionem probare possit, impunis sit. Non habeat potestatem probandi vel dandi veniam eidem, nisi uno tempore (extra fæturam piscium). Si neget se deprehensum esse ab actore in ejus aqua, actor hoc probabit vel supplebit sex virorum juramento, & deinde mulctabitur alter tribus marcis. Si contendant, & alter dicat intersignium sibi esse abreptum vel furto ablatum, stetur tunc ejus attestatione qui illud abstulit, & probet duorum virorum testimonio, num jure vel minus ademptum sit. Si non possit hoc attestari, impunis sit, cui ademtio facta est: & alter plectetur mulcta rapinæ, qui illegitimè ipsi abripiebat, quæ est trium marcarum. 2. § Pro omnibus causis, in quibus quis non palam deprehenditur, vel testibus convincitur, insimulato facultas sit se lege defendendi, pro qualitate facti. 3. §. Si duo contendant de aqua piscatoria, & alter dicat se plus habere aquæ & minus piscium accipere, ille verò qui divisionem aquarum imponere vult, dicat: Ego volo partem meam scire de junceto & operibus retiariis, ejus voluntate stabitur, qui vult dividere. Et ille jubebitur divisionem facere coram vicinis & paræcianis, atque sic in judicio. Si deneget illi compossessor legitimam divisionem, & usurpet postea partem indivisam, mulctetur tribus marcis. Si etiam usurpet, postquam divisio facta est absque consensu, mulctetur quisque pro usurpatione sua, ut antea dictum est. 4. §. Si fretum vel torrentes sint intra vel extra terminos villarum; tunc illi opera piscatoria exstruere tenentur, qui sunt possessores istius terræ, si velint, & ex-

& exstruet quisque pro rata sua parte in villa & fundo. 5. §. Si quis perdat sagenam alterius, mulctetur tribus marcis. Si ita concidat eam ut nulli sit usui, resarciat damnum & insuper mulctetur. xl. marcis. Si quis deperdat rete vel nassam, vel quodcunque instrumentum piscatorium sit, mulctetur tribus marcis & refusione damni. *(t)*

(t) *Conf. c. 16. §. 7.* Widerbo UL. *Synops. jur. Diss. 5. Q. 4.*

XXVI. CAP.

De limitibus & terminis prædiorum inter pagos, & de inspectionibus eorum.

OMnes pagi limitibus distingui debent. Si limites inter pagos siti sint, maneant ut prius fuerunt: Si non exstent limites, & tamen sint antiquæ & inveteratæ sepes inter pagos, illis standum est. Si amnes inter pagos fluant; illi quoque prædiorum termini sint, si non adsint limites. 1. § Si duo pagi lateraliter porrigantur ad stagnum vel fretum; dimidium stagni participet quilibet pagus. Si insula in medio flumine sita sit, possideat dimidium ejus quælibet terra; si alteri terræ proximior sit, illius sit insula, cujus est aqua. Si insula mobilis in freto sit, ejus erit qui illam terræ suæ solidare potest. Si pagus situs sit ad finem fluminis aut stagni, tantum in eo possideat, quantum mensura villæ permittit. 2. § Si quidam contendant de limitibus, unus dicat se possidere obliquos limites, alter rectos limites, super eo eligentur inspectores, una dimidia pars eorum ab actoris, & altera dimidia pars à parte rei erit: Et illi limites legitimi ac rati erunt, quos inspectores approbant, sive recti sive obliqui sint. Si duo pagi contendant de limitibus, nulli sit potestas dolosè sibi vendicandi alienum, neque in limitibus fundorum, neque viæ vehicularis, sed investigent alios limites. 3. §. Si contendant de possessione ædificatus pagus & desolatus pagus, & ædificatus pagus circa se limites & sepes habeat, illo stetur; si non adsint limites, illi pago subjaceat, cui prius subjacebat. 4. §. Si duo pagi ædificati con-

contendant de terminis prædiorum, diem constituent & possessoriam inspectionem habebunt: si inter eos conveniat, benè est; si non conveniat, in jus ibunt actor & reus, & duodecim inspectores eligent, sex à qualibet parte. Illi duodecim scrutabuntur, quibus potius lux veritatis assistat. Postquam hoc viderunt & cognoverunt, in judicio territoriali testificabuntur de veritate rei. Quisquis eorum nondum adquiescere vult, potestatem habeat appellandi ad proximum judicium provinciale Regium à judicio territoriali, colonus sub tribus marcis, & inspectores territoriales sub duodecim marcis. Si inspectio judicii provincialis Regii supervenerit, ratum erit quod illa facit, & ab ea nemini appellare licebit. Quod septem inspectorum aut plures faciunt, ratum erit. 5. §. Omnes terminorum prædialium inspectiones habebuntur inter Walburgis & omnium Sanctorum dies; omnes quæ postea habentur irritæ erunt. 6. §. Si duo pagi concurrant in agris vel pratis, vel aliis possessionibus, & per sepes se separare velint, atque unus pagus majori pensioni, alter minori subjectus sit, plus sepiat qui majoris, & minus, qui minoris æstimari potest. Si concurrant pascua cum agris vel pratis alterius pagi; ei cura sit de sepibus, cujus sunt agri & prata, nec illi, cujus sunt pascua. Si silvæ concurrant cum agris vel pratis alterius pagi, sit idem jus. 7. §. Si duo pascua concurrant, quodlibet de suo pago, ut tamen unum sit minus altero, ibi ungulata pecora compascuis uti possunt, & neuter pro altero ea includere debet; nisi alterius prædii possessor circum sua pascua sepire velit. Si duo pagi concurrant, & unus pascua habeat, alter non, ille conducat pro suo grege pascua ex convento, qui nulla ipse possidet. 8. § Si villanus erigat sepem in alterius prædio, vel alius in alieno prædio, & inspectores hoc testentur, qui ab utroque nominati sunt; tollat sepem, & mulctetur tribus marcis.

† *Hodiè Regem per supplicem libellum adire solent, quando inspectioni limitum à judicio provinciali Legiferatus ut vocant, decretæ non adquiescere volunt aut possunt: ut Rex aliam inspectionem decernat. Vid. Differt. Loccenii de Iure limit. Q. VI.*

XXVII. CAP.

Quinam limites dicendi sint. Si quis eos loco moveat absque sententia. quomodo novi sint deponendi.

Limites

Limites ſunt, ubi quinque lapides ſunt, quatuor in circuitu, & unus in medio. Quatuor aut tres lapides non poſſunt pro limitibus haberi, nec plures quàm quinque. In quolibet fundi limite quinque lapides collocabuntur; ita in via vehiculari & ſeparata parte terræ, in pago villatico ſita, quæ antiquitus limitata & ſepta fuit. In particularis agri aut prati diviſione, duo lapides pro limite eſſe poſſunt, vel palus, & lapis ac os quoque. Unus lapis fidem non meretur. 1. §. Si non exſtent limites vel ſepes, prædiales termini erunt in medio amne aut freto. 2. §. Quisquis extra legitimam ſententiam limites movet & abijcit, ſi convincatur teſtibus & judicio territoriali, xl. marcis tripartiendis mulctetur. Si limites transferat in alieni prædii fundum, ſi convincatur, ut dictum eſt, mulctetur xl. marcis, & pro fure habeatur, & infamis ac inteſtabilis ſit. Si inſimuletur hujus facinoris, nec in eo palam deprehenſus ſit, purget ſe duodecim virorum dimidiæ partis utrimque juramento, vel mulctetur, ut ante dictum eſt. 3 §. Nemini licebit prædiales limites tollere vel deponere, niſi omnibus compeſſoribus hoc legitimè indicatum, & ſententia lata ſit. Si fundi aut viæ limites collocandi ſint, ad hoc omnes ejusdem pagi compeſſores legitimè convocabuntur; & in hoc caſu non opus eſt judiciali ſententia.

Confer cap. 18. Widerbo *UL & Diss. de jure Limit.*

XXVIII. CAP.

Si paſcua vel ſilva cremialis inter pagos ſita ſint, vel nemus bene ſeptum.

Si paſcua inter pagos jaceant, limite vel palis incincta, maneant, ut fuere; ſi non, quilibet pagus pro dimidio participet paſcua. Si ſilva cremialis inter pagos ſita ſit, eadem lex eſto. Si ſilva circumſepta inter pagos jaceat, quæ habeat limitem & palos defixos, maneat ut fuit. Si non, dividatur ſecundum aſſem & ſemiſſem.

c. 19. Widerbo *UL.*

XXIX. CAP.

Si duo territoria contendant de bonis univerſitatis, quomodo hoc decidendum ſit. Et ſi quis ea uſurpet aut ædificet absque venia. Quando penſiones annuæ ſint ſolvendæ ac diſtribuendæ.

Si duo territoria contendant de bonis soli ad communitatem spectantibus, & quodlibet territorium possessionem prætendat; inspectores ex proximo territorio deligentur, non ex illo, in quo contenditur. Quodcunque territorium non est contentum sententia inspectorum, habebit potestatem appellandi ad arbitros vel inspectores provinciales; & territorium deponet in judicio XII. marcas, & inspectores XII. marcas tripartiendas, ut prius dictum est, & arbitri finium provinciales inter contendentes diriment litem, ut alias omnes de bonis soli controversias, & ratum ac firmum erit quod illi agunt. 1. §. Nemini licebit aliorum communitatem usurpare in silva aut aquis; nisi legitima mulcta plecti velit, vel pro se veniam aut conductionem habeat. 2. §. Si silva communis per quam procurrit via, non fuerit purgata & pontibus instructa, omne territorium purgabit & pontes faciet, vel mulctabuntur singuli territoriales pro quota possessionum suarum. Nemini licet ædificare in communibus territorio locis, absque consensu territorii & præfecti territorio: Quicunque ibi ædificat, curam habeat pontium, quousque solum occupavit. Occupatum autem illud erit, quod sepibus circumseptum est; & inde solvetur ex convento pensio annua. Eadem ratio erit de rebus soli communibus provinciæ vel regioni, quæ de rebus soli territorialis, & capiatur venia à provincia & Judice vel præfecto provinciali. 2. §. Omne agrarium ex territorii & provinciæ communitate exsolvetur intra S. Thomæ diem singulis annis: Qui non ita fecerit, tantundem solvat, quanti est pensio annua, & præfectus territorii cum sex viris exigat illud, ut aliud agrarium, & mulctam: Sed mulctæ dimidium capiat provincia vel territorium, & alterum dimidium Iudex provincialis vel præfectus territorii pro molestia suâ. Agrarium dividitur, ut in titulo de judicio territoriali *(u)* determinatur. Si non solvat secundo anno, mulctetur & exigatur pari modo. Si non solvat tertio anno, privetur ædificiis & labore suo. Et Judex vel præfectus provincialis, vel præfectus territorii potestatem habebit ædificandi illam terram cum provinciæ vel territorii consensu. Nulli verò potestas sit expellendi conductorem prædio communitatis, vel hæredes conductoris, quamdiu pensionem annuam in solidum solvunt.

(u) c. 27. & 30.

XXX. CAP.

De tempore fænisecii in pratis communitatis.

Dies

Dies fœnisecii in pratis communitatis sunt proximi dies profesti à die S. Petri. Quicunque prius metit fœnum in pratis communitatis, & aliquis compossessorum de ea re queritur, mulctetur tribus marcis, & fœno demesso *.

* *Dum præcipiti pecoris sui immissione, ante omne fœnum demessum, nocumento est viciniæ.*

XXXI. CAP.

Si in loco communitatis habitans non possit pendere, quod ex eo debet. Et quod nemo talia loca emere possit.

Si ille qui in communitatis provinciæ aut territorii loco habitat, ad inopiam redigatur, ita ut non sit ferendo oneri pensionum annuarum ex dicto loco, eumque planè desolatum reddat ex vera & evidenti necessitate; proximè verò sequentibus annis se recolligere, & prædium restaurare, & agrarii residuum explere & expendere possit (x), non expellendus est prædio. Si non possit, judex provincialis aut territorii præfectus aliis viris illud prædium locabit, ut ante dictum est, & in judicio sex viros sibi adjunget, qui æstiment ædificia & istic instructa vel opera. Ex illis deducant debitum territorio adhuc restans, si non pecunia vel alia mobilia suppetant. Quod si ædificia pluris æstimari possint, quàm est debitum, territorium refundat colono quanto pluris, æstimantium arbitrio. 1. §. Nemini liceat provinciæ vel territorii publica vel communia prædia emere vel permutare; nisi inde arra & agrarium ei impositum pendatur. 2. §. Nemini quoq; liceat exstirpare silvam provinciæ aut territorio communem: quicunque hoc fecerit, mulctetur tribus marcis (y), & laboris sui jactura.

(x) *Vid. Synops. jur. Diss. 16. Qu. 3.*
(y) *Hodiè* XII. *marcis probæ monetæ art. 21. Stegsord.*

XXXII. CAP.

Nemini licet in indiviso pago pascua occupare vel alias possessiones. & de silvæ exstirpatione.

Nullus pagus pascua vel alia indivisa, sive extra sive intra prædium sita, occupare in usum agri, vel prati, vel lupuleti, vel alterius rei debet, antequam legitima divisio supervenerit:

quicunque hoc facit, præter laboris sui jacturam, trium marcarum mulctam solvet. 1. § Si qui possideant nemus exstirpationi & purgationi utile, singulis liceat absque partitione liberè exstirpare & purgare, & ita purgatum solum ad tres sementes retineat, & postea illud restituat nemori pagi: Si diutius utatur, excidat labore suo, & tribus marcis mulctetur. Si unus dicat, alterum expurgasse nimium & petat dividi, is audietur & desiderio potietur.

cap. 28. §. 5. Bygd öl.

XXXIII. CAP.

Quomodo molendinum sit ædificandũ, & de inspectione ejus. De operibus piscatoriis.

Si locus molendini inter duo prædia situs sit, participet ejus usum pro dimidio utrumque prædium, quousque se ejus terra porrigit. Si locus molendini situs sit intra pagum & prædium, quilibet ex illo partem suam capiat, prout possidet in fundo, agro & prato. 1. §. Nemo debet molendinum in alterius detrimentum exstruere: non superius, ut aqua claudatur vel arctetur, ita ut stagnent ager vel pratum, eisque aqua noceat, nec ita inferius, ut supprimatur pro superius sitis, vel etiam nimis augeatur. Si contendere cœperint, & alter dicat, ita ædificatum esse, ut ager vel pratum, vel molendinum pro eo deperditum sit, compossessores ad hoc eligent inspectores, singuli pro sua dimidia parte: Si inter eos non conveniat, in judicium territoriale ibunt. Præses ejus nominabit illis XII. viros, in quos utrinque consentiant. Illi eò se conferent & ædificium inspicient, deinde proximo judicii die de eo verum profitebuntur. Uter eorum huic adsertioni adquiescere recusat, potestatem habeat appellandi, ut dictum est (antequam inspectores territoriales juratò suam inspectionem attestati sint) ad inspectionem provincialem, quæ litem inter illos dirimat. Si non appelletur, ratum erit, quod inspectores territoriales fecerunt. Si verò illi juraverint, ipsum illegitimè ædificasse, reus erit trium marcarum mulctæ, & omnis damni illati. Præses verò judicii territorialis condemnabit eum ad demoliendum ædificium illegitimè exstructum, & præfiget illi dimidium mensem, ut interim ipse diruat molendinum. 2. §. Quod si nolit, intra dictum tempus, præses judicii sibi adjunget XII. viros, qui tollant ædificium, & exigant ab eo sex marcas; tres marcas tripartitò pro illegitima structura, & tres marcas pro violatione sententiæ territo-

ritorialis. Quod si reus restiterit, & demolitionem inhibendo damnum alicui advenientium intulerit, sive nece sive vulnere, dupli pœna erit inferentis damnum, & impunè, si ipse patiatur damnum. Eadem lex esto de structuris piscationum illegitimè factis. Si plures confluentes molendino exstruendo habiles concurrant, & istic omnes ædificare velint, unus non ita ædificabit, ut alterius structura corrumpatur: Illi verò facultas exstruendi sit, qui sine alterius detrimento exstruit.

Confer. c. 22. Widerb. *UL. c.* 8. Bygd. öL.

XXXIV. CAP.

Quomodo ædificandum sit infra & supra, sicut novæ structuræ non officiant veteribus. Si plures possideant fluenta, & unus ædificare velit, &c. Et quod piscatura vel aqua à priore cursu non sit avertenda vel fodienda. Item si fretū inter pagos aut territoria situ̅ sit.

Quando novæ structuræ obsunt veteribus, præsumitur pro veteribus tanquam legitimè factis, ita ut novæ demoliendæ sint. Si verò utraque inferius & superius facta sit, & utraque legitimè sita sit; sive duæ sive plures sint, superior non retinebit aquam pro inferiori, nec inferior claudet pro superiori. Aperiat ipse septum aquæ, vel mulctetur sex oris, si convinci possit duorum virorum testimonio, & seipso tertio. Si non convincatur, ut modò dictum est, impunis sit. Mulctetur etiam toties sex oris, quoties legitimè convincitur, ut ante dictum est. 1. §. Si plures possideant eundem molendini locum, & unus ædificare velit, nec omnes, illi liberum sit ædificare. Compossessoribus tamen cum duobus possessionatis viris hoc indicabit, & secum exstruere jubebit. Si non unà cum ipso exstruant intra tertium diem judicialem, eodem die præsidis judicii sententiam ad ædificandum capiet, & postea impunè ædificet. Si verò compessores ædificare nolentes deinde citent ædificantem, & dicant, quod in eorum fundo per violentiam ædificarit, ejus adsertioni stabitur, si adfirmet & probet sex virorum testimonio, quod ex sententia Præsidis legitimè ædificarit: Et postmodò fruetur molendino, donec ex eo tantum perceperit, quantum impensæ in eo fecerit. Hoc attestentur sex viri utrimq; nominati, quando plenam

compensationem pro ædificatione accepit. Idem jus esto de piscaturis. 2. §. Nemo debet aquas aut piscaturas ab antiquo devertere, & pro aliis deperdere; nisi mulctari velit tribus marcis, & supplere damnum, secundum æstimationem virorum in judicio nominatorum. 3 §. Si fretum sit intermedium inter pagos, regionem aut territorium, trajectus cum pontone per illud duodecim ulnas latus erit, quatenus est trajectus publicus vel omnibus communis; trajectus per cymbas sex ulnas latus, ubi non est omnibus communis, & tamen potissima profunditas est. Quicunque plures aquæ meatus claudit, diruat, & mulctetur tribus marcis. 4. §. Si quis effodiat novos sulcos aquarios vel alveos & diverticula aquæ ex lacu, amne vel torrente, vel profundum effodiat ex loco consueto, in sui commodum & alterius incommodum: restituat effossum priori suo loco, & cum mulcta novem marcarum, resarciat damnum. Quod si nolit, idem hîc jus esto, quod de aliis illegitimis structuris, ut ante scriptum exstat.*

Confer. art 9. Recess. Comit de A. 1638.
* *cap. 33. h. tit. §. 1. 2. c. 9. §. 1.* Bygn, Sl.

XXXV. CAP.

Si incendium oriatur ex incuria vel casu, & rusticus solus in pago habitet. Et quod incendium culposum aut fortuitum dicendum sit.

Si tam male eveniat, ut incendium oriatur in pago, sive fiat ex dolo, sive incuria vel negligentia, sive casu, primum deciditur in titulo de atrocibus delictis. Si rusticus solus in pago desideat, qui terram & ædes possidet, & incendium exsurgat ejus, uxoris aut liberorum culpa, & pagus comburatur, damnum ipse ferat. Si sit colonus provincialis, & ipse possideat domum exustam, ipse quoque sentiat damnum. Si in proprietarii ære alieno sit, illud solvat ex subsidio (z) pro reficienda domo in eum collato, & ex aliis bonis quæ possidet, in quantum facere potest. 1. §. Si solitarius in pago degat, nec ipse possideat domum aut terram, atque pagus comburatur negligentiâ vel incuriâ ejus, ut si candelam in pariete defigat ebrius vel sobrius, & inde in lectum vel aliò abeat, suspendat linum vel cannabem in furno aut perticis, excitet ignem in clibano aut pavimento, indeque

indeque discedat, vel alia hujusmodi negligentia, ubi quis possit & debeat melius præcavere & custodire innocentem ignem. Si incendium exoriatur, & villa comburatur, ædificet de integro domum æquè bonam, cum mulctâ trium marcarum, proprietario soli solvenda. 2.§.Si ex mero casu fortuito fiat,nec ex incuria,ut si ignis per clibanum penetret in parietem, vel oriatur ex scintillis in tectum decidentibus, vel ex alio hujusmodi casu fortuito,qui non provideri nec prohiberi potest,antequam damnum fiat; Ibi stipulabitur juramentum de casu fortuito cum duodecim possessionatis viris in proxima citatione parœcianorum, & idem juramentum præstabit, & ipse sit quoque in antesacramento*. Si incendio deflagrent una, duæ vel tres domus, nec plures; quarta pars singularum æstimationis solvat proprietario in ædificium exstruendum loco combustæ domus. Si omnes villæ comburantur, quatuordecim marcas in mulctam casus fortuiti proprietario solvat.

(z) c. 24. Widerb. UL. art. 23. privil. Nobil. *. Vid. Lexic. jur. in Eedh.

XXXVI. CAP.

Si ille, cujus culpâ incendium oritur, cum aliis in pago habitet, & igne deflagret pagus, homines, templum; quomodo quidvis luendum sit. Si fiat hoc à solutis personis, presbytero aut campanario.

Si quis habitet in pago cum aliis, quorum culpâ incendium oritur, & pro aliis comburantur unum,duo aut plura ædificia, vel una villa,aut totus pagus incendio deflagret, & hoc factum sit ex negligentiâ vel verâ injuriâ, ut prius dictum est; resarciat, qui in culpa est, omne damnum pro viribus facultatum suarum, mobilium & immobilium, cuilibet secundum æstimationem damni. Si non sufficiant ejus facultates plenæ solutioni, deficiat tam pro uno quàm alio, pro quotâ. 1.§. Si fiat hoc ex vero casu fortuito, præstetur jusjurandum casuale, ut dictum est, & mulcta pro casu cum culpa aliqua conjuncto pro uno, duobus vel tribus ædificiis, secundum quartam partem æstimationis eorum. Si omnes villæ vicinorum comburantur, mulctetur reus septem marcis pro una villa, & præstet juramentum de casu; si plures villæ in pago incensæ sint, mulctetur XL. marcis pro omni pago, & præstet jusjurandum de casu,

casu,ut dictum est. Ista mulcta non erit major. Quilibet damnum passus inde capiat, in quantum ejus damnum æstimabile est,& tam pro uno quàm altero deficiat. 2. §. Si homines ex incuria comburantur, quilibet mulctetur novem marcis; si casu comburantur, sit mulcta trium marcarum. Si templum incendio pereat ex igne incuriosè habito, mulctetur qui ignem non diligentius custodiverat, XL. marcis, in ædificationem novi templi. Si casu comburatur, mulctetur XX. marcis & præstet dictum juramentum de casu. Quilibet satisfaciat etiam pro igne tam ex granariis vel horreis, quàm aliis ædificiis orto. 3. §. Si damnum hoc accidat culpâ solutarum personarum vel conductæ familiæ, & damnum æstimari possit XL. marcis vel amplius; damnum passus habeat potestatem vitæ eorum, si mulctam solvere nequeant. Si minoris æstimari damnum possit, ad laborem damnentur quotannis pro tribus marcis, donec dimittantur. 4. §. Sacerdotes quoque & campanarii teneantur ex incendio, sive oriatur ex templo,sive ædibus suis. Judicium territoriale juratò cognoscet & attestatibur, num tale damnum dedita opera, vel incuria, vel casu acciderit, & singuli jurent, prout ipsis prælegitur jusjurandum.

c. 24. Widerbo *UL.*

XXXVII. CAP.

Si molendinum incendio comburatur; & de subsidio territorii pro reficiendâ domo combustâ.

Si quis exportet ignem in alterius molendinum, sive ipse molitor sive agricola sit, & comburat molendinum, vel frumentum mola terendum, ex vera incuria; cujus erat ignis, curabit domum novam exstrui cum omnibus instrumentis æquè bonam, & mulctabitur tribus marcis, dimidia molendini domino, & altera dimidia frumenti domino solvendis, & præstabit juramentum de casu cum sex viris. Si deficiat in juramento, resarciet damnum pro ratione æstimationis, cum novem marcis tripartiendis. Eadem lex erit de mola pneumatica, quæ de hydromyla. 1. §. In quocunque territorio hujusmodi damnum ex incendio contingere potest, ut modò dictum est, territorium ipsi debet subsidium pro reficienda domo, prout damnum æstimari potest. Præses territorii nominabit illi

illi ſex viros ex judicio; illi domi ejus ſecundum vicinorum teſtimonium iſtud damnum æſtimabunt. Si æſtiment ei ad xx. marcas vel plures, ab omni territorio dictum ſubſidium accipiet. Si æſtiment ad x. marcas vel plus, capiet ſubſidium à dimidia parte territorii, in quo damnum contigit. Si æſtiment ad v. marcas, capiet dictum ſubſidium à quarta parte loci in quo habitat. 2. § Subſidium vel contributio territorii debet eſſe dimidius modius frumenti, vel triens Sveticæ monetæ. Omnes tenentur hujusmodi contributionem capere & dare, qui poſſeſſionati viri ſunt, Clerici & Laici eorumquè familia. nemo ab illa immunis erit.

c. 44. Bygd. öl.

XXXVIII. CAP.

Si quis ignem deferens in ſilvam, urat arbores cremiales, quercum aut fagum, quomodo quidlibet luendum ſit.

Si quis deportet ignem in ſilvam, & comburere velit partem ſilvæ pro ſeminanda iſtic ſiligine aut braſſica vel alia re; ſi iſte ignis longius ſerpat, quàm habere neceſſe ſit, vicinos convocabit, à quibus ſi adjuvari poſſit ne longius procedat ignis, impunis erit: ſi non poſſit, ſubſequetur ardentem titionem & fumantem fumum, & ſe offeret ad juramentum de caſu fortuito. Si cum ſex viris hoc juramentum præſtare poſſit, mulctabitur pro damno ex caſu fortuito in pagi ſilva cremiali dato, tribus marcis (a), ſic pro ſecundo & tertio, & hæc mulcta compaganis addicetur. Si non poſſit jurare, mulcta novem marcarum erit pro unâ ſilva, ſic pro ſecunda & tertia. Si non ſit in ipſo actu deprehenſus, purget ſe duodecim virorum juramento. 1. §. Si quis comburat fructiferam ſilvam caſu quodam, & quidem quercum aut fagum, pro ſingulis pendat mulctam trium orarum, ſic pro ſecunda & tertia, & præſtet Juramentum de caſu fortuito cum terna manu. Si quartam arborem fructiferam exurat, pendat novem oras, & præſtet juramentum caſualis incendii cum ſex viris. Si novem aut plures exurat, mulctetur ſeptem marcis, & præſtet jusjurandum de caſuali incendio cum duodena manu. Si tale juramentum præſtare nequeat, pro una quercu pendat ſex oras, ita pro altera & tertia: ſi quartam comburat, mulctetur tribus marcis. Si decem comburat, mulctetur de-

cem marcis tripartiendis. Si viginti vel complures comburat, mulctetur xx. marcis: nec major sit ea mulcta. 2. §. Si quis insimuletur de exportato igne, & ille inficietur, nec coram deprehensus sit, vel testibus legitimè convictus, purget se duodena manu & immunis à pœna sit.

(a) *Hodiè sunt* xx. *marcæ, cum damni refusione, possessori silvæ præstandæ. art.* 24. 25. 26. *Const. de Silv.*

XXXIX CAP.

De apium occupatione & examine. quomodo capere vel occupare eas liceat, vel non.

Si quis apes inveniat in loco prædii sui vel in silva, cujus partem possidet, cedent inventori. *S*i inveniat eas in loco alterius prædii & quidem inclusas, pro eo gratias habeat, sed nullam inventarum partem. Si extra septum in alterius silva eas repe-riat, indè tertiam partem capiet, & possessor silvæ duas partes omnes. Si duo affirment, se unum apiarium invenisse, ille inventarum partem habebit, qui primus indicavit. 1. §. Si apes confluant, & avolent in alterius nemus, & apum possessor eas subsequatur ad arborem ac foramen quò involant, atque ita signet eandem arborem & hoc publicet coram compaganis, nullus habeat potestatem has ei denegandi. Si alius postea superveniens easdem apes pro suis agnoscere velit, ille qui prius publicavit, eas sibi vendicabit. Si examen apum involet alnum, ista arbor pro apiario haberi, nec excidi debet: Si excidatur, erit mulcta sex orarum. Si involet arborem cremialem vel sterilem *(b)*, ista arbor excidi, & apes impunè tolli possunt. Si silvæ possessores aliquem malæ fidei arguere velint, negentquè apum examen, quod possidet, ejus esse, tribus viris probet, quod enutritum sit in ejus villa apiaria, & quod illud subsequutus sit è vestigio usque ad foramen arboris: quod si illud juratò probare possit, habeat suas apes impunè. Si deficiat in probatione, dimittat apes & pendat sex oras. 2. §. *S*i apes unius occidant alterius alvearii apes, mulctabitur duabus oris possessor apum occidentium, aut se purgabit juramento duorum virorum. Si secundi alvearii apes occidant, mulctabitur dominus occidentiū dimidio marcæ, vel purgabit se triū virorū juraméto. Si tria vel plura necent alvearia, sit mulcta sex orarum, vel purgetur hoc trium virorum juramento. non verò plus loco mulctæ solvatur, etiāsi plures occidātur.

3. §.

3. §. Si quis ponat vasculum aquâ & melle mixtis repletum in aliena silva ad inescandas & ad se alliciendas alterius apes, mulctetur tribus marcis; nisi exeat villâ domini silvæ, & ejus convictu fruatur. Quicunque aliud vas vel alvearium in suâ vel alienâ silvâ animo insidiandi alienis apibus collocat, solvat tres marcas. 4. §. Si quis furetur apiarium, & in ipso facto deprehendatur, ille cum re furtiva ac ligatus in judicium deducatur, & testibus convictus, absque solutione mulctæ damnatus suspendatur.

(b) K. Carls Husesyns Ordn. *art.* 24.

XL. CAP.

Quid juris separatus & seorsim septus pagus (Sveticè Affgiärdaby) habeat cum proprio, patrimoniali & veteri pago (Sveticè Odhelby).

Si novus pagus ædificetur ex veteri, ille vocatur Affgiärdaby (c) *dissептus pagus*: Ille cum *allodiali*, *veteri & principali pago*, (Odhelby) ex communi pagi silva possidebit ligna cremialia, non ex alnu vel quercu; item ligna ad comburendum, cortices arboribus avulsas, & immissionem pecoris in agrum & pratum demessum; item cespitum sectionem & limum pro tecto, & pastionem pro pecore in agro & prato demessis. Pascantur ibi sues ejus, ubi alius ejus grex pascitur, quotquot nutrit penes aream horrei sui. Nulli veniam cædendi in silva concedere debet, sive ex commodato, sive conducto, nec ex ea aliquid vendet, sed eo contentus erit, quod sepibus est comprehensum. 1. §. Si pagus principalis vel qui in eo habitat, certã mansioné & prædium in eo constituere velit, plateam aut viam x. ulnarum ad communitatem illi attribuent: Qui verò villam ibi constituunt & incingunt, etiam curã de sepibus habebũt, Non autem quiquam ita ædificabunt, ut uni exitum intercludant.

(c) *Vid. Lexic. jur. & c.* 28. Bygd. B. *§.* 5. *art.* 14. Husesyns Ord. Affgiärdaby skall ey Odelby til skada byggias. *Novus & separatus pagus non ædificabitur in damnum allodialis pagi.*

XLI. CAP.

Si plures possessores degant in desolato pago, & unus ædificare velit, nec plures, quomodo ei hoc lege sit concedendum; atquè si plures postea ædificare velint.

Si pagus ille desolatus jaceat, in quo plures sunt possessores, & unus ædificare velit ac usurpare suam partem, & reliqui nolint ædificare & sepire cum ipso ; tunc præses judicii territorialis cum ipso ædificare & colere terram volente nominabit duodecim viros ex judicio, qui eò se conferent & quàm optima ratione possunt illi portiones in agro & prato attribuent, & quidem tantas, quantas judicare possunt ejus possessiones in loco prædii istius esse; illas partes licebit illi liberè occupare , sepire & usurpare ex suo commodo. Pecora ejus quoque sine impedimento pascantur, ubi possunt in eodem villæ loco; nisi quidam partem suam includere, & legitima sepe ac custodia tueri velint. 1. §. Si verò unus ille portiones suas terræ subegerit & expurgaverit in agro & prato, & reliqui velint immigrare & suas partes ædificare & excolere, pariter cum illo arabunt & purgabunt suam terram :Quod cum fecerint, attestante territorii Nemda, quilibet ex lege capiet suam partem in agro & prato & omnibus extra sitis possessionibus, & dividetur ager ac pratum juxta situm fundi aut prædii, ut lex ait *(d)*. Si quis occupet aut usurpet alterius partem, qui primus coluit eam, & quidem aliter, quàm dictum est ; mulctabitur novem marcis & damni refusione, secundum bonorum virorum æstimationem.

(*d*) *cap. 6. h. tit.*

XLII. CAP.

Si mulier mulgeat ovem, capram, vel vaccam alterius.

Si qua fæmina mulgeat ovem, aut capram alterius viri, & in ipso actu deprehendatur, mulctetur tribus oris ; si non deprehendatur, impunis sit. Si mulgeat vaccam viri, deprehensa mulctetur tribus marcis. Si non testes adsint , purget se sex virorum juramento.

c. 26. Widerbo. *UL.*

XLIII. CAP.

Si quis imponat signum alterius rei. Et si duo contendant de uno signo.

Si quis ponat signum suum super alterius re, inanima aut viva; atque ita sibi alterius rem vendicare velit, vel signum imponat alte-

alterius ſigno ad confundendum illud, atque palam deprehendatur, vel plenis argumentis ejus convincatur, pro fure habebitur ſecundum æſtimationem rei. Si verò ejus inſimuletur, ſed inficias eat, atque res novem marcarum vel pluris æſtimari poſſit, purgabit ſe XII. virorum juramento, vel mulctabitur XL. marcis. Si trium marcarum vel pluris ſit, purgabit ſe cum novem viris, vel mulctabitur XII. marcis: ſi unius ſit oræ, mulctabitur tribus marcis, vel purgabit ſe cum ſex viris. Si ſit dimidiæ oræ vel minoris, purgabit ſe cum tribus viris, vel mulctabitur ſex oris. 1. §. Si duo contendant de re aliqua utriusque ſignum continente, ſive ambo unum ſignum habeant, ſive ſinguli ſuum, poſſeſſoris ad ſe defendendum potior conditio erit; niſi actor ſufficientibus rationibus probare poſſit, rem ſuam eſſe, & quod ſignum ſigno impoſitum ſit [e].

(e) *Vid. cap. 27. §. 1. Widerbo UL. Synops. jur. Diss. 24. Q. 4.*

XLIV. CAP.

Si quis pecus alterius ſtudio occidat.

Si quis pecus alterius dolo occidat, qualecunque ſit pecus, quod plus valeat quàm duas oras, illud rependet cum pleno pretio, ſecundum duorum virorum, utrimque nominandorum, æſtimationem, & cum tribus marcis; ſic pro ſecundo & tertio. Si non adſint teſtes, purget ſe ſex virorum juramento. Si quis plura armenta dolo necet, hoc dicitur gregis cædes, & auctor reſarciet damnum pleno pretio, cum XL. marcis, ſi per ſex viros legitimè convincatur. Si non legitimè convincatur, purgabit ſe XII. virorum juramento. Si quis occidat pecus minoris pretii quàm duarum orarum, duplum rependat ſecundum æſtimationem virorum, ut dictum eſt. Quisquis hujus facti inſimulatur, nec legitimè eſt convictus oculatis teſtibus (*f*), purgabit ſe pro qualitate facti, ut dictum eſt.

c. 28. Widerbo. UL. (*f*) *c. 46. h. tit.*

XLV. CAP.

Si quis pecus alterius occidat aut vulneret caſu quodam.

Si quis quid projiciat, lapide vel telo petat alterius armenta, & pejus quàm pro intentione eveniat, ita ut mors subsequatur; restituet vivum pro mortuo, & jurabit, quod nunquam ex proposito hoc fecerit, cum trium virorum juramento. 1. §. Si quis roget alium sibi adjumento esse in mittendo sanguine equo suo, vel alii jumento, & pejus evenire possit, quàm debebat (g), purgabit se proprio suo juramento, quod nunquam hoc ejus voluntate factum sit, ut damno afficeretur; vel quartam partem plenæ mulctæ pendet. 2. §. Si quis vulneret aut percutiat jumentum non ad necem usque, sive sit equus, sive equa, sive bos, & ad opus subeundum inutilis factus sit; ille qui percussit vulnus curabit, & restituet illi habile jumentum ad operandum. Si jumentum non sit mutilatum, colonus suum recipiet. Si sit mutilum factum, retinebit ille qui percussit, & integrum pro eo restituet colono, secundum æstimationem virorum. Qui non vult hoc modo damnum resarcire, & de eo actio contra illum in judicio instituitur; præses judicii designabit æstimatores, qui domi ejus sufficienter æstiment damnum, cum trium marcarum mulcta. 3. § Si quis feriat equum, equam, bovem aut vaccam, excutiat oculum, abscindat cornu vel caudam casu, solvet oram pro quolibet ictu, & præstabit juramentum casus fortuiti. Si deficiat in juramento, dimidium damni pretium pendet. Si quis eruat binos oculos, ex pleno damno tenebitur & trium marcarum mulctâ, si possit hoc duobus testibus probari. Deficientibus testibus, purgabit se sex virorum juramento. Si quis ita feriat vaccam, ut lac præbere nequeat, mulctabitur dimidiâ marcâ.

(g) *Vid. Synops. jur. Diss. 26. Qu. 11.*

XLVI. CAP.

Si interficiat aut vulneret unius pecus alterius pecus.

Si unius jumentum occidat alterius jumentum, equum, equam, vel pecus non aptum esui, testibus convictus possessor istius jumenti [*h*] dimidium æstimati damni pretium solvet, secundum æstimationem virorum. Si occidat bovem, vaccam vel aliud pecus esui aptum, quartam partem damni plenè æstimati pendet, & mortuum retinebit qui ante possidebat. Si actio contra reum moveatur,

veatur, nec adſint teſtes de viſu, purgabit ſe juramento pro ratione æſtimati pecoris. 1. §. Si pecus vulneret pecus, impunè ſit. Si operi faciendo utile jumentum vulneretur ab alio pecore, ſic ut ruſticus eo non amplius uti poſſit ſub jugum vel habenas; tunc poſſeſſor jumenti ei reſtituet aliud jumentum, habile jugo vel loris, ex duorum utrimquè nominatorum æſtimatione, vel mulctetur duabus oris.

(b) *Synops. jur. Differt. 26. Qu. 9.*

XLVII. CAP.

Si quis pravum canem habeat, qui pecus mordeat.

Si quis habeat canem qui pecus mordeat vel aliud vivum animal in grege alterius, & mordeat ad necem usque, poſſeſſor canis capiet mortuum, & reſtituet vivum æquè bonum. Si non moriatur, pendet quartam partem æſtimati animalis. Si mordeat altera vice, damnum reſarciet, & ſolvet ſex orarum mulctam, vel interficiet canem quem poſſidet. Si tertia vice damnum inferat, refundet damnum & tres marcas tripartiendas, & quoties deinde nocet, refuſio & mulcta eodem modo erit. 1. §. Si quis occidat aut furetur alterius canem, ſex oris mulctetur. niſi ſit canis pecuarius aut venaticus; tunc mulcta duodecim orarum erit. Si canis conſuetus ſit mordere gregem, mulcta dimidio minor erit. (i)

d. Quæſt. 9. (i) *Quod ſciens poſſeſſor gregis, poſſet melius cuſtodire gregem ſuum.*

XLVIII. CAP.

Si ruſtici conventionem & collationem faciant pro cuſtodiendo grege.

Si agricolæ cohabitent in pago, & conveniant de cuſtodiendo grege ſuo, & conferant in medium aliquid, quo conducant paſtorem gregis, ibi ſibi invicem quod juſtum eſt facient. Si unus eorum negligat hujusmodi cuſtodiam gregis, purgabit ſe trium virorũ juramento, vel mulctabitur duabus oris, quas reliqui, qui curam ejus habent, capient. 1. §. Si cuſtos gregis amittat bovem vel vaccam, vel quodcunque ſit pecus, ſi recuperare nequeat, ſolvet pro eo plenum pretium, ſecundum duorum virorum æſtimationem. 2. §. Si fera abripiat pecus cuſtodi gregis præſenti, & ille partem lacerati pecoris oſtendere poſſit, impunis ſit (k): ſi non, ſolvat plenum pretium.

3. §. Si

3. §. Si vacca pariat foris in pascuis, & vitulus amittatur, sit mulcta trientis. Si hædus aut agnus amittatur, sit mulcta quatuor nummulorum. 4. §. Si pecus agricolæ incidere possit in alienas manus ejus qui laqueos, casses & tendiculas feris posuit, & indè mortem nancisci, siquè istæ tendiculæ aut insidiæ legitimè publicatæ sint, custos pecoris ei, cujus est pecus, dimidium æstimati pretii solvet; si non sint publicatæ, ille qui insidias posuit, plenum pretium pendet. 5. §. Si pastor amittat bovem aut vaccam, nec recuperare possit, privabitur mercede sua: Si amittat juvencum, carebit unâ orâ mercedis suæ: pro capra vel ove, triente: pro vitulo, agno aut hædo, quatuor nummulis: pro annoso porco, una ora: pro sue nondum unius anni, triente. Si colonus castiget custodem pecoris baculo sive virga, nec indè mutiletur, impune erit.

(k) *Synops. jur. Diss. 16. th. 30.*

XLIX. CAP.

Si quis decorticet libros, defringat scopas ex quercu, vel myrtum in alterius silva colligat.

Si quis decorticet vimina vel libros, defringat scopas è quercu, vel myrtum aut myricam colligat in aliena silva, refundat damnum cum tribus marcis, si legitimè convictus sit. 1. §. Si quis defringat myrtum aut myricam in communi territorii vel provinciæ silva ante festum Olai, & in ipso facto deprehendatur, mulctetur sex oris. Si quis colligat lupulum silvestrem in communi pagi, territorii vel provinciæ silva ante Festum Bartholomæi, solvat tres marcas & refusionem damni.

L. CAP.

Quomodo horti lupularii sint instruendi & servandi in regno.

Quicunque agricola vel colonus non habet hortum lupularium cum XL. perticis ad quas lupulus excrescat, tribus oris quotannis mulctetur; quas capiet ille qui censum vel agrarium jure exigit in lupulo, pro ratione æstimationis ejus in loco, nec in pecunia vel aliis mercibus 1. §. Regius Feudatarius aut præfectus in quolibet feudo contestabitur de hoc negligentibus, & indicabit hoc in judicio territoriali proximè à Festo Michaëlis. Si dominus non

non exigat ante dictas mulctas intra Thomæ Festum, Regis prætor eas exigat in judicio legitimo territorii, post festum Nativitatis Christi, & dominus silendo cecidit jure suo [l]. Si colonus non colat & instruat lupuletum primo vel secundo anno, hoc signum est, quod dominus ejus non exigat mulctas: Eas capiat interim Regis prætor, donec instruxerit lupuletum. 2. §. Quilibet territorii præfectus per totum regnum cum Nemda territoriali ejusdem territorii investigabit & testabitur, num quis tale obstaculum aut impedimentum in prædio suo habeat, propter quod non possit instruere hortum lupularium, & ille sit immunis à mulcta.

(l) *Synops. jur. Diss.* XI. *Qu.* 1. *hic conferatur.*

LI. CAP.

Si quis impellat armenta in alterius insulam absque venia.

Si quis inducat pecora in alterius insulam absque permissione, cujuscunque sint generis, & aliquis includat illa, legitimè hoc intimabit coram paræciæ judicio. Si superveniat possessor ejus, & satisfactionem offerat pro pecore suo, solvet oram pro equo vel annoso bove: pro juvenco, capra vel ove, trientem: pro hædo, vitulo vel agno, quatuor nummulos. Nisi pecus suum redimat pro legitimo pretio intra tres dies Dominicos, postea possessoris cura circa illud erit. Si perdatur aut moriatur, damnum ejus erit qui in tempore redimere nolebat. 1. §. Si quis immittat pecus suum in insulam, in qua ipse partem habeat, absque omnium compossessorum consensu: redemtio dimidio minor erit, quàm antea dictum est.

Fortè quod minorem partem insulæ ille obtineat, reliqui majorem.

LII. CAP.

Si quis emat gregem ex morbido pago.

Si quis emat pecus ex morbido pago, & compellat scienter domum absque scientia vicinorum suorum: expellat vel obtruncet confestim, & tribus marcis mulctetur, si quis vicinorum eum judicialiter conveniat. Ille verò se purget sex viris, & impune eijciat. Si nolit expellere vel obtruncare, mulctetur sex marcis.

Virgil. Georg. Nec mala vicini pecoris contagia lædant.

LIII. CAP.

Nemo alterius jumenta vel armenta, navigium aut instrumentum domesticum, capere & usurpare absque venia aut conductione debet.

Nemo alterius jumenta vel armenta capere, navigium aut instrumenta domestica vel quodcunque sit, inanime vel animatum, sibi usui habere debet, nisi veniam aut conductionem habeat à vero possessore. Si quis hoc faciat, possessor habeat potestatem accusandi eum rapinæ aut furti, utrum malit: Stet hoc cognitione judicii territorialis, num raptum aut furto ablatum sit, vel alio modo captum; inde judicetur capiens, si in ipso actu deprehensus sit. Si insimuletur, nec convincatur facti, purget se, vel mulctetur pro ratione æstimationis.

Synops. jur. Dissert. XVI. *Qu.* 5.

TITULUS VI.

DE JURE MERCANDI.

1. *SI quis emat mobilia, jumenta, pecora, arma, resectum pannum, aurum argentum, &c.*
2. *Si quis emat aurum vel argentum & in eo vitiosum vel adulterinum quid reperiatur. Et quomodo hoc aurifabro ad opus indè faciendum tradi debeat.*
3. *Si quis emat ceram, salem, thus, butyrum, sebum, &c. & in eo deprehendatur falsum aut vitiosum; & quod sit discrimen inter falsum ac vitiosum.*
4. *Nemo contractum emptionis ineat cum patrisfamilias uxore, liberis, vel ejus familia, ipso inscio.*
5. *Quomodo ille se à suspicione furti purgare debeat, qui emit in foro illud, de quo posteà contentio oriatur. Atque si nascatur fœtus ex eo animali, de quo contenditur.*
6. *Quomodo ruri, vicatim & per provincias ematur ac vendatur, & quæ sit ejus rei pœna; & quomodo impunè ruri ematur.*
7. *De emptione vicatim & paganatim facta. Et quod opificibus liceat emere ad suorum opificiorum usum.*

8. Con-

8. *Conducta & commodata jumenta illæsa restituenda sunt. & quomodo probari debeat, pro commodato satisfactum esse.*
9. *Quomodo deposita pecunia alicui committenda, & recipienda sit. Et si furtò auferatur.*
10. *Si pignus comburatur, furto aut rapinâ adimatur. Et quomodo quis bona sua pignori obligare debeat.*
11. *Quomodo pignus legitimè sit persequendum, si non redimatur.*
12. *Si quis caveat pro alio de credita pecunia, aut de judicio sisti.*
13. *Si quis vi compellatur ad promittendam pecuniam vel aliud, & pro eo fidejussores constituat.*
14. *Quomodo solutæ personæ, quæ sunt in ære alieno, legitimè persequendæ sint.*

I. CAP.

Si quis emat mobilia, jumenta, pecora, arma, resectum pannum, aurum, argentum, &c.

Si quis emat jumenta ungularum solidarum, aut pecora ungularum bifidarum ab aliis, formata arma, vel sectum pannum, factum aurum vel argentum, clausam & januis benè instructam domum; hæc omnia cum mediatoribus vel proxenetis & testibus [*m*] ementur.

(*m*) *Non tamen res viles. undè est in tit. jur. Ostrogoth.* Wingerd *(de proxenet) cap.* 1. Höns och Gääs/ Hund och Katt må köpas vthan win. i. e. *Gallina & anseres, canis & felis absque proxeneta emi possunt.* Confer. Antiq. Sveogoth. 2, 17.

II. CAP.

Si quis emat aurum vel argentum, & in eo vitiosum vel adulterinum quid reperiatur. Et quomodo hoc aurifabro, ad opus inde faciendum, tradi debeat.

Si quis emat aurum vel argentum ab aliis quàm ab ipso aurifabro, & emptor in eo deprehendat vitium, recipiet illud venditor, & purgabit se duodecim virorum juramento, quod nesci-

verit dolum in eo; si deficiat in juramento, mulctetur tribus marcis. Si neget hoc se vendidisse, neget cum duodecim virorum jurejurando, vel restituat pretium cum dictâ mulctâ. 1. §. Si aurifaber vel aurifex culpetur, quod falsum in auro vel argento vendiderit, illud ad malleum & incudem probandi causa [n] admittetur: si purum putum deprehendatur, retineat qui accepit. Si non sit purum, aurifex reddat pretium emptori, & ipse habeat vitiosum, & mulctetur XL. marcis. Si aurifex inficias eat, & nolit recipere vitiosum à se venditum, emptoris hoc cum duorum possessionatorum testimonio adserentis quod vendiderit, dicto stabitur, & venditor mulctabitur, ut dictum est. 2. §. Si quis aurum vel argentum suum aurifici tradere velit ad opus inde faciendum, hoc purum ei tradet, præsentibus duobus viris possessionatis; atque si aurifex illud accipiat pro puro auro vel argento, possessor autem ejus neget se tam purum recepisse quàm tradiderat, stabitur eorum testimonio qui præsentes erant. Si eum purgent, impunis sit, & accipiat mercedem: si reum faciant, pro fure habeatur, & pro furto plectatur, secundum æstimationem virorum.

(n) *Hodiè ad Lydium lapidem probari, charactere loci* (Stempel) *& aurificis signo solet imprimi: quo ostendatur, probæ esse notæ. quod si præfectus rei argentoriæ* (Rijkswardein) *falsum aut non purum putum deprehenderit, reprobatur, & author mulctatur.*

III. CAP.

Si quis emat ceram, salem, thus, butyrum, sebum, &c. & in eo deprehendatur falsum aut vitiosum; & quod sit discrimen inter falsum ac vitiosum.

Si quis emat ceram, salem, thus, butyrum, adipem, sebum vel lupulum, ubicunque deprehendetur vitium in re emptâ vel venditâ, nominati duo possessionati viri probabunt num vitium in ea sit, vel non, & testabuntur in judicio territoriali: ubi si venditor absolvatur, absolutus sit, si damnetur, mulctabitur XII. marcis. Ita ubique mulctabitur, ubi vitium reperitur in rebus emptis, & ille recipiet pretium qui emebat, & rem vitiosam, qui vendebat. 1. §. Qui adulterat merces quascunque, furti reus agatur, pro qualitate prætii & æstimationis damni in judicio. Vitiosum est, ubi malum

lum pro bono, mixtum pro puro venditur; & falsum est, ubi malum sub bono occultatur, velut cuprum sub auro, pisum commixtum cum cera, lapides compinguntur in vasa cum ferro, vel aliud hujusmodi falsum in orcarum vel tinarum mercibus, ut butyro, sebo, melle vel aliis ejus generis.

c. 2. de empt. vendit. UL.

IV. CAP.

Nemo contractum emptionis ineat cum patrisfamilias uxore, liberis, vel ejus familiâ, ipso inscio.

Si quis contractum emptionis ac venditionis ineat cum uxore (*o*) patrisfamilias absque ejus scientia, paterfamilias potestatem habebit illum contractum revocandi, si superet unius oræ emptionem. Nullus etiam cum patrisfamilias liberis vel familia contractum emptionis inire potest, ipso inscio: quod si quis faciat, mulctetur tribus marcis.

(*o*) Fl. 47. §. 5. Manhdlg. *UL.* Fl. 4. Klöp. *UL. Synops. jur. Dissert.* 15. *Qu.* 1.

V. CAP.

Quomodo ille se à suspicione furti purgare debeat, qui emit in foro illud, de quo postea contentio oriatur. Atque si nascatur fœtus ex eo animali, de quo contenditur.

Si quis emat in foro, sive sit vivum sive inanimatum, & de emptione contendatur, emptor verò qui de ea impugnatur, nesciat authorem suum à quo emit; ille, qui impugnat, juratò probet rem suam esse cum duorum virorum testimonio: alter verò probet se in foro emisse per testes rei emptæ, & purget se à suspicione furti; ille postea suum recipiet qui contentionem movit, & qui emit, requiret pretium suum. 1. §. Si quis emat equam aut vaccam, vel quidquid sit ex quo quid nascitur, & postea contendatur de empto animali; partus ejus erit qui enutrivit (*p*). nemo enim

 tenetur

tenetur id curare, quod alteri naſcendo adquiritur, & ille ſuum redimet quod rectè pro ſuo agnovit.

(p) *Sic in proverbio dicitur:* Den hönan föder/ bör ha ägget; *qui gallinam alit, habebit ovum.*

VI. CAP.

Quomodo ruri & vicatim & per provincias ematur ac vendatur; quæ ſit ejus rei pœna; & quomodo impunè ruri ematur.

Quicunque mercatores, clerici, miniſtri, nobiles, agricolæ, coloni, vel alii viri aut mulieres ruri circumeunt cum mercibus, ut harengis, ſale, panno, aromatibus, & aliis hujusmodi, & mercaturam exercent vicatim, & ab uno pago ad alium, hoc dicitur *ruralis aut provincialis mercatura*, Sveticè Landsköp (q): quem Regis prætor in eo deprehendit, vel legitimè convincit cum ſex virorum teſtimonio, mulctetur XL. marcis, & omnium apud eum repertarum mercium publicatione: Regio Fiſco ſoli addicentur mulcta & merces. 1. §. Nulli etiam Regis vel alterius viri prætori poteſtas ſit alicui licentiam contra hæc dandi, vel contra id quod lege vetitum eſt, ſub mulcta XL. marcarum, ſoli Regi debita; & qui licentiam capit, nihilominus ſecundum legem mulctabitur. 2. §. Provincialibus & colonis quidem neceſſariò emere & vendere licet & permutare cum aliis, frumentum pro corticibus, piſcibus vel butyro & aliis talibus, & cibaria pro ferro, chalybe & cupro, ubi talia exſtant, ad ſibi redimendum & neceſſitatem, vel aliud quodcunque, quod in coloni prædio naſcitur aut exſtat; niſi ideò emat, ut iterum venum exponat, & pro mercibus agricolæ emat merces mercatoris, & vice verſa. Nec illud *provincialis mercatura* (Landsköp) dicetur, quando provinciales & coloni commutant frumentum, ſecale, ſiliginem, vel aliud hujusmodi cum talibus mercibus, quas Norlandi, & Germani qui ad littora maris Balthici habitant, Gothlandi & Ölandi important in regnum, permutandi ſibi cauſa ad victum & neceſſitatem.

(q) *De hac fusè in Ordinat. Guſtavi Magni de commerc. art. 7. 11. 12. 15. 17. & in artic. 26. de adminiſtrat. & Incrom. Civit.*

VII. CAP.

VII. CAP.

De emptione vicatim & paganatim factâ. Et quod opificibus liceat emere ad suorum opificiorum usum.

Non etiam ruri domique suæ licet habere mercatorum bona venalia, etiamsi illa secum non aliò transferat, sub pœnâ & mulcta antea expressâ. Si sit rusticus censualis, qui ita faciat, Rex capiet mulctas: si sit Nobilium familia, dominus terræ capiet mulctas. 1. §. Opificibus tamen ruri habitantibus licet emere, quæ ad illorum opificia pertinent, & in operibus suis in posterum impunè vendere, quibus velint. Nec prætoribus aut aliis licet exigere vel accipere censum vel operis oram à sartoribus, sutoribus, pellionibus vel aliis hujusmodi opificibus, ideò quod vicatim eunt & opus faciunt pro illis *(r)*, qui eo indigent. Censum tamen & agrarium pendent in loco habitationis, & jus ac æquum in omnibus rebus, ut alii viri, facient.

(r) *Confer. artic. 25. de administr. & increm. civit. & in Synopsi jur. Dissert.* XVI. *Qu.* VII.

VIII. CAP.

Conducta & commodata jumenta illæsa restituenda sunt. & quomodo probari debeat, pro commodato satisfactum esse.

Si quis ab alio conducat equum, equam, bovem, vel quamcunque rem aliam, si illæsam accipiat, illæsam restituet. Si verò possessor rei conductæ dicat eam conducentis culpa deteriorem redditam esse, hic purgabit se XII. virorum juramento & solvet mercedem, quam promiserat Si deficiat in juramento, restituet rem locatori æquè bonam atquè acceperat, & cum mercede. Si quis aliquid commodatò accipiat ab alio, hoc commodanti domum reduci debet. Commodatum non debet deperdi (s): illud plena integritate & valore restituendum est, prout testes jurare volunt, qui præsentes erant, cum utendum daretur. 1. §. Si contendant, & unus tradens dicat plus commodatũ vel mutuò datum esse, alter, qui accepit: dicat minus fuisse hoc stabit duorum vel trium præsentium testimonio. Si testes non præsentes fuerint, aut syngrapha su-

per

per eo data, & minus ſit marca, purget ſe duorum jurejurando: ſi marca aut plus ſit, & minus tribus marcis, purget ſe ſex virorum juramento. Si tres marcæ, aut plus ſit, purget ſe XII. virorum juramento, vel expendat commodatum vel mutuum.

(s) *Synops. jur. Diss. 12. Qu. 6.*

IX. CAP.

Quomodo depoſita pecunia alicui committenda, & recipienda ſit. Et ſi furto auferatur.

Si quis deponat pecuniam apud alium, vel aliam rem, hoc faciet cum duorum virorum teſtimonio, & recipiet pari modo. Si teſtes non ita adſint, & deponens dicat ſe plus depoſuiſſe quàm recuperaſſe, depoſitarius duodecim virorum juramento probet ſe rectè reſtituiſſe. 1. §. Si res depoſita furto auferatur vel comburatur, vel vi abripiatur, ſi deponentis & depoſitarii res ſimul ſubſequantur, nihil rependatur: ſi non ſubſequantur, ſuum ipſi reſtituat*.

* *Ob præſumtam negligentiam rei alienæ, & diligentiorem curam rei propriæ. quod etiam in pignore valet.*

X. CAP.

Si pignus comburatur, furto aut rapinâ adimatur. Et quomodo quis bona ſua pignori obligare debeat.

Si quis pignus ſuum credat viro, ſive plus rei mobilis ſive minus ſit, hoc faciet cum duorum virorum domicilia habentium teſtimonio. Si pignus comburi poſſit, antequam dies conſtituti pignoris exſpirarit, ſi amborum res incendio pereant, nihil refundatur. 1. §. Si furto vel rapinâ auferri poſſit, in templo coram parœcianis publicè denunciari curabit, tam de ſuo, quàm pignore. Si non utrumque ſit ablatum, pignus poſſeſſori reſtituet.

c. 7. Ridp. *UL.* *c. 5. eod. tit. HL.*

XI. CAP.

Quomodo pignus legitimè ſit perſequendum, ſi non redimatur.

Si

Si tempus constituti pignoris finitum sit, nec redimatur, ter in judicio publicari debet. Si dominus tunc redimere velit, ipsi liceat; si nolit, pignus æstimabitur. Si pignus melius sit debito, creditor domino tanto plus pretii addat; si minus sit debito, suppleat illud debitor. *c. 7. h. tit.* SL.

XII. CAP.

Si quis caveat pro alio de credita pecunia, aut de judicio sisti.

Si quis caveat pro alio de credita pecunia, solvat illud pro quo cavit aut fidejussit, vel purget se duodenâ manu, quod nunquam pro eo fidejusserit. Si deficiat in juramento purgationis, solvet illud pro quo fidem suam interposuit, sive plus sive minus sit. Quod si dissentiant, unus dicat, pro majori summa fidejussorem cavisse, alter dicat, pro minori, solvet cum juramento duodenæ manus, affirmans se non pro majori summa, quàm nunc exposuerit, fidejussisse. 1. §. Si verò unus dicat, tu pro homine judicio sistendo cavisti, alter dicat, pro pecunia; tunc producet illud pro quo se cautionem interposuisse recognoscat, & impunis sit. Si homo non producatur, satisfaciet pro debito, vel causa viri, pro qua cavit, vel purgabit se XII. virorum juramento. Si cautio facta sit in judicio vel coram ecclesiæ parœcianis, XII. viri illud testabuntur. Si non in judicio cautum sit, stabit eorum assertione.

c. 8. Ridp. *UL. artic.* 5. Rätteg. Ord.

XIII. CAP.

Si quis vi compellatur ad promittendam pecuniam, vel aliud; & pro eo fidejussores constituat.

Si quis vi abducatur (*t*), ligetur vel constringatur, vel alio modo urgeatur aut cogatur ad pollicendam pecuniam, aut servitium, vel quodcunque tandem sit, non prævia legitimâ sententiâ, & ad cavendum pro eo datis fidejussoribus: deinde verò veniat in judicium territoriale vel provinciale, vel coram uno aut duobus regni Senatoribus, & de ea re se judicio submittat, & pro se cautionem præstet duobus aut tribus possessionatis viris constitutis; quod si ita fecerit, solutus erit à prioribus fidejussoribus, ad quos constituendos vi

 coactus

coactus erat. Si verò quis postea ei vim faciat, erit dupli pœna, & præses territorii rem decidet in loco habitationis vim passi, tam de principali causa ejus, quàm alterius, qui eum ad obligandum se cogebat.

(t) *Hîc mulcta* XL. *marcarum locum habere posse videtur, quæ expressa est in c.* 40. Edzör. B. *de eo, qui vi abducit alium, & ad ea cogit, quæ non vult; ubi quoq; idem verbum* wåldförder *vi abducit, occurrit, quod in hoc capite.*

XIV. CAP.

Quomodo solutæ personæ, quæ sunt in ære alieno, legitimè persequendæ sint.

Si quis aliis debeat pecuniam vel pretium, quodcunque sit ex commodato vel empto, & postea aufugiat, nulloque loco subsistat, ita ut judicialiter conveniri possit, & tamen bona ejus alicubi reperiri queant, actori licebit cum præsidis provincialis aut territorialis judicii venia, & duorum possessionatorum virorum testimonio, ista bona occupare, & apud duos possessionatos viros in sequestro collocare, & statim illis significabit quantitatem debiti, quod jure velit in judicio probare. Deinceps in proximum territorii judicium ibit, & eandem actionem contra bona instituet, quam esset instituturus contra possessorem eorum, si præsens esset. Et quando actor probavit debitum, & Lex *(u)* vult, territorialis judicii præses illud persequetur & exquiret lege. 1. §. Si verò bona ejus nuspiam inveniri possint, nec ipse alicubi fixum locum habeat, ita ut legitimè conveniri possit; ubicunque tunc actor illum reperire potest, in urbe vel ruri, cum regii prætoris & adsessorum in judicio venia illum accusare poterit, & carcere includi facere, & in judicium deducere, & sic ab eo exigere pecuniam vel laborem, pro qualitate debiti.

(u) *Nimirum c.* 33. KB. B. *& sup. c.* 8. *h. tit. ubi lex vult, testibus & syngraphâ debitum probari.*

TITULUS VII.

DE JUDICIO TERRITORIALI.

1. *Quomodo judex provincialis eligi debeat, & de ejus juramento.*
2. *Quomodo præses judicii territorialis eligendus sit, & de ejus juramento, & de judicis territorialis juramento.*
3. *Si judex provincialis, præses judicii territorialis, Lensmannus vel Regius Exactor,*

Exactor, Nemdarius vel judicii adsessor, largitionibus se corrumpi patiantur.

4. *Præses judicii territorialis non nisi unum judicium territoriale habeat. quota pars mulctarum ei debeatur. & quomodo pars mulctarum territorio debita exigenda & servanda sit.*
5. *Præses judicii territor. vel ejus judex instituet judicium quolibet juridico die.*
6. *Unum judicium territoriale sit in qualibet hebdomade, & unus judicii locus in quolibet territorio; & quomodo rustici ad judicium convenire debeant.*
7. *Si dies juridici incidant in festa.*
8. *De tribus juridicis temporibus cujuslibet anni.*
9. *De regiæ inquisitionis & animadversionis judicio* [Sveticè Räfsting] *quando habendum sit in qualibet jurisdictione.*
10. *Quomodo id habendum sit cum directoribus, adsessoribus, & de victu.*
11 *Quomodo judicium provinciale sit habendũ, publicandum, & ad illud citandum.*
12. *Quomodo quis alium legitimè in jus vocare, & persequi legitimè debeat comparere nolentem, & de mobilibus.*
13. *Si contendatur de immobilibus, quomodo hoc decidendum sit.*
14. *Quod legitimorum impedimentorum testes jurare debeant. Et quotuplicia legitima impedimenta sint.*
15. *Si plures unum citent, cui primùm respondere debeat.*
16. *Quomodo citandus sit qui non habitat in eodem territorio vel jurisdictione.*
17. *Quomodo Lensmannus vel Exactor actionem instituere debeat, si non ipse actor instituat.*
18. *Si actor actionem suam deserat, eam persequetur Lensmannus.*
19. *Quomodo ille purgationem juratoriam stipulari & præstare debeat, qui publicâ famâ facinoris notatur, idq́ negat: hoc est inficiatoriũ & occultũ facinus.*
20. *Si quis alium accuset & convincere eum testibus velit, & possit, vel non possit, quomodo hoc sit decidendum.*
21. *Omnes testes coram judicio jurare tenentur, & quomodo jurare & examinari debeant. de pœnâ pejerantium. ubi juramentum præstari debeat.*
22. *Si quis velit jusiurandum in judicio præstare, & actor non compareat, vel nolit prælegere juramentum, prælegat præses judicii.*
23. *Si quis sit duplicis linguæ in judicio.*
24. *Remissum juramentum æquipollet præstito.*
25. *Quomodo præses judicii territorialis sententiam ferre vel mulctari debeat.*
26. *Si solutus & vagus servus delinquat, quomodo legaliter conveniendus sit.*
27. *Quomodo judicatum æstimandum sit, & quomodo æstimata terra redimenda sit. Et quilibet pro suo facinore luat.*
28. *Non debet quid æstimari pro aliquo, nisi legitimè citato & judicato.*
29. *Si rusticus queratur nimium pro se, nec legitimè convento æstimatum esse.*

I. CAP.

Quomodo judex provincialis eligi debeat; & de ejus juramento.

QUando judex provincialis eligendus est, Episcopus hoc in loco jurisdictionis publicare debet, & octo hebdomadarum dies præfigere, ut omnes qui in illa jurisdictione habitant, ad judicium perveniant. Tunc Episcopus (x) duos Clericorum secum habebit. Deinde populus eliget sex Nobiles, & sex agricolas: Illi duodecim cum Clericis eligent tres viros, quos coram Deo & secundum conscientiam suam norũt regioni esse utilissimos. Ex illis tribus Rex unũ confirmabit, quem Deus ejus menti inspiraverit, & ille intellexerit populo expedire. 1. §. Quem Rex judicem provincialem creat, hoc jusjurandum præstabit: Ita præcor Deum mihi propitium, quod tam erga pauperes quàm divites in tota mea jurisdictione & sententiis ferendis omnem justitiam sequi velim, nec unquam jus pervertere contra conscientiam meam & legem, nec unquam detorquere vel interpretari legem contra ejus mentem, vel injustum fove-

fovere propter timorem, favorem, pecuniæ ſtudium, non propter invidiam vel odium, non propter conſanguinitatem vel amicitiam; ita mihi Deus faveat, ut hoc ſervavero.

(x) *Illud hodiè non amplius in uſu eſt: ſed ſolius eſt Regis, de hoc diſponere.*

II. CAP.

Quomodo præſes judicii territorialis eligẽdus ſit, & de ejus juramẽto, ut & de judicis territorialis juramento.

Quando præſes judicii territorialis eligendus eſt, judex provincialis iudicium indicet menſtruo ante ordinarium juridicum diem ſpatio, in ordinario judicii loco ejusdem territorii. Tunc territoriales nominabunt (y) XII. viros, quales volunt, & judex provincialis decimus tertius erit, illi tredecim Regi tres in electionem repræſentabunt ex illis qui in territorio habitant: de illis Rex unum eliget, quem volet & ſciet ad hoc idoneum eſſe. Si Rex non ſit in regno, ille præſidem judicii territorialis eliget, cujus fidei Rex hoc commiſerit. 1. §. Electus verò præſes idem juramentum præſtabit, quod iudex provincialis: & territorii iudex idem iusiurandum præſtabit, quod territorii præſes; vel teneatur & luat dictus præſes pro omnibus iudicis territorialis ſententiis æquè, atque ſi ipſe eas pronunciaſſet. Si verò iudex iurarit, teneatur & luat ipſe, ſi iniuſtè iudicaverit.

(y) *Huiusmodi modus eligendi præfecti vel præſidis judicii territorialis hodiè non amplius obſervatur; ſed ſoli Regi poteſtas eum conſtituendi reſervatur.* Vid. artic. 6. Privil. Nobil. de an. 1617.

III. CAP.

Si judex provincialis, præſes judicii territorialis, Lensmannus vel Regius exactor, Nemdarius vel judicii adſeſſor largitionibus ſe corrumpi patiatur.

Si iudex provincialis capiat munera pro ſententia ſua, det Regi quæ accepit, & mulctetur XL. marcis & privetur officio ſuo, & poſtea nunquam recuperet. Si præſes iudicii territorialis accipiat munera, lex eadem erit. Si prætor aut Lensmannus accipiat munera, Regi det munera, & careat feudo ſuo, & nunquam recipiat, & ſolvat mulctam XL. marcarum. Si Nemdarius vel adſeſſor accipiat largitiones, reddat Regi illas, & mulctetur XL. marcis, nec unquam adſeſſoris locum recipiat. 1. §. Quicunq; vir eum plenis argumentis convincere poteſt, quod munera acceperit, ex illis XL. marcis, quibus mulctari debet, tredecim marcas & octo trientes capiet. Si quis huiusmodi corruptionis inſimuletur, purget ſe XII. virorum juramento, vel mulctetur, ut dictum eſt.

Confer. art. 15. Rätteg. ordin.

IV. CAP.

Præses judicii territorialis non nisi unum judicium territoriale habeat. quota pars mulctarum ei debeatur; & quomodo pars mulctarum territorio debita exigenda & servanda sit.

Unus vir non plura judicia territorialia, quàm unum habebit. Et illi debetur tertia pars omnium mulctarum judicii territorialis. Ipsum verò territorium curam habebit duarum partium superstitum; & territoriales adsciscant unum agricolam, & unum ex ministris Nobilium, qui duas partes mulctarum, & duas partes omnium communitatis territorialis redituum & agrarii legitimè exigant, & conservent in territorii utilitatem †, & habeant quintam omnium partem pro molestia sua. Rex capiat unum trientem ex territorii rebus communibus.

† *In fisco territorii,* hǎradʒ kistan.

V. CAP.

Præses judicii territorialis vel ejus judex instituet judicium quolibet juridico die.

Quolibet juridico die debet præses judicii territorialis, vel qui ejus judicium habet, judicio se sistere in vero judicii loco, vel mulctetur tribus marcis qualibet vice, qua abest, in tres partes dividendis. Et actor atque reus eandem facultatem procedendi habeant in proximo judicio, quam debuissent habere, si præses in judicio adfuisset. Omnia enim legitima testimonia & juramenta in judicio coram adsessoribus fient & præstabuntur.

VI. CAP.

Unum judicium territoriale sit in qualibet hebdomade, & unus judicii locus in quolibet territorio; & quomodo rustici ad judicium convenire debeant.

Non plura territorii judicia in una hebdomade erunt quàm unum; nisi Regis literæ vel mãdata adveniant *; & in quolibet territorio unus judicii locus, non plures erunt. 1. §. Ne verò

judicia

judicia cadant, sed in suo vigore persistant, sex viri minimùm ex qualibet tetrade territorii ad quodlibet judicium territoriale convenient, aut quilibet, qui non legitima impedimenta habet, mulctabitur tribus oris: dimidiam partem capiet præses judicii, & dimidiam Nemda. Processus judicii territorialis rectè circumibit, quamdiu legitimum judicium durat, & inchoabitur ibi ubi finiebatur, quando proximum legitimum judicium redintegratur.

* *Exemplum in c. 26. §. 1.* R. B. B.

VII. CAP.

Si dies juridici incidant in festa.

Si dies juridici incurrant in dies Festos vel Quadragesimales, præses judicii ante publicabit diem habendi judicii: quod nisi fecerit, agricolæ domi remanebunt impunè usque ad alium juridicum diem, & præses judicii mulctabitur tribus marcis tripartiendis.

Feriis judicia silent.

VIII. CAP.

De tribus juridicis temporibus cujuslibet anni.

TRia tempora judicii habendi erunt quotannis in qualibet jurisdictione: primum à Festo Nativitatis Christi usque ad novem hebdomadas circa Quadragesimam; secundum à Festo Walburgis usque ad diem Mediæ æstatis; tertium à Festo Michaelis usque ad Adventum.

IX. CAP.

De regiæ inquisitionis & animadversionis judicio (Sveticè Räffsting) quando habendum sit in qualibet jurisdictione.

Quia Rex juravit, se omnem justitiam & veritatem corroboraturum, & omnem calumniosam juris detorsionem depressurum, & liberaturum populum suum ab iniquis hominibus, tam indigenis quam alienigenis, ideò judicium inquisitorium per provincias ad minimum semel in anno habebitur in qualibet jurisdictione, velut Upsaliæ, post S. Erici diem: Strengnesiæ, die Lunæ post Nundinas Samtingenses: Lincopiæ, die Lunæ post vigesimum diem

Na-

Nativitatis Christi: Wexioniæ, die post S. Sigfridi diem in hyeme: ölandiæ, die Lunæ post diem S. Iohannis in media æstate: Scaræ, die Assumptionis Mariæ: Tingwallis, die post Dominicam Quadragesimæ: örebrogæ, die post S. Henrici diem: Arhosiæ, die post Festum Nativitatis Mariæ: Aboæ, die post Festum S. Henrici.

X. CAP.

Quomodo judicium inquisitorium per provincias habendum sit cum directoribus, Nemda, & de victu.

Si Rex ipse adesse nequeat in dicto judicio provinciali vel inquisitorio, Episcopus * & duo ex ejus Capitulo, judex provincialis & duo ex Senatoribus regni, vel alii boni nobilesque viri, quos Episcopus & Judex provincialis ad hoc adsciscunt in qualibet jurisdictione, potestatem habebunt administrandi regium judicium in omnes causas quæ ad illos dijudicandæ devolvuntur; ita tamen, ut Laici jus dicant in illis causis, in quibus non licet Clericis jus dicere, & illa negotia, quæ ab illorum jurisdictione per appellationem remittuntur ad Regium judicium, ibi terminari debent. Ibidem XII. in Nemda vel adsessores erunt, qui jurarunt, secundum titulum de jure Regio, jus tueri in eos qui Regis juramentum violant. Si quidam eorum absint, alii in eorum locum substituentur. 1. §. His omnibus prænominatis victus præbetur, ut postea declaratur in hoc titulo. Et pro molestia sua inter se divident omnes mulctas violatæ sententiæ regiæ & dimidium aliarum mulctarum tunc commissarum, & alterum earum dimidium cedet Regi.

* *Tale judicium hodiè abrogatum est, & causæ ibi olim agitari solitæ, nunc remissæ sunt ad Iudicium Regium supremum. art. 20. Processs. judicii Reg. §. 3.*

XI. CAP.

Quomodo judicium provinciale sit habendum, publicandum, & ad illud citandum.

Quilibet judex provincialis in sua jurisdictione debet judicium provinciale habere in quolibet territorio uno tempore minimum quotannis*, & sæpius, si ita necesse sit. Hoc publicè denunciari & notificari curabit in quolibet territorio, decimo

quarto

quarto die ante instituendum iudicium. Hæc est legitima citatio ad iudicium provinciale, & ad iudicium Episcopale (z). Si quis tunc actionem contra alium habeat, eum in ius vocet, publicato iudicio, cum duobus possessionatis viris, & quam litem adversus eum intendat, simul indicet; nisi aliam citationem accipiat. 1. §. Judex provincialis super omnes sententias scriptas Sveticè literas dabit, sive ab iis appelletur, sive non, duabus oris pro literis acceptis.

* *Hodiè quolibet triennio, art. 3. Rätteg. ord.*

(z) *Cum differentiâ tamen ab utriusque judicii objectis sumtâ. de qua in cap. praeced. 10.*

XII. CAP.

Quomodo quis alium legitimè in jus vocare, & persequi legitimè debeat comparere nolentem de mobilibus.

Si quis contra alium actionem instituere velit, iudicii præses vel ipse reum cum testibus citabit, si tam prope sit, vel actori tradet duos viros domicilium habentes, ut per illos citet reum, ubicunque eum reperire possunt. Si non aliter eum reperire possint, domum eius adeant, & ita citent, sive domi sit, sive non, & actor significet causam citationis [a]. 1. §. Si non compareat in primo iudicio, ad se iure defendendum, vel impedimenti eius testes, mulctabitur tribus oris, soli actori addicendis, & ille nominatos suos testes coram secundo iudicio producet, ubi iurabunt & testabuntur. Si ne tunc quidem reus absque necessariis impedimentis compareat, mulctabitur tribus marcis tripartiendis; & testes nihilominus admittentur. Si in tertio iudicio, necessariis impedimentis, solutus nondum compareat, in principalem causam damnabitur.

(a) *Causa citationis speciatim exprimenda est majoris notitiæ & præparationis causa.*

XIII. CAP.

Si contendatur de immobilibus.

Si de immobilibus contentio sit inter actorem & reum, præses judicii territorialis nominet XII. viros ex judicio, qui actorem immittant in istæc bona, & reus postea habeat annum & diem illa redimendi, si jure possit. Si alia res est, præses judicii vel judex ipse & Lensmannus cum XII. viris æstiment bona, & cum mulctis tribus oris & sex marcis, quilibet suam partem capiat.

Q XIV. CAP.

XIV. CAP.

Quod legitimorum impedimentorum testes jurare debeant. Et quotuplicia legitima impedimenta sint.

Omnes legitimorum impedimentorum testes jurare debent in eodem judicio, quo testantur. Hæc sunt legitima impedimenta coram judicio quæsito. 1. Si morbo sit correptus aut vulneratus. 2. Regio mandato regni negotii causa profectus sit. 3. Si captivitate detineatur. 4. Si belli causa judicium quærere nequeat. 5. Si extra provinciam ac jurisdictionem sit. 6. Si mentis impos sit. 7. Si sit virgo vel pupillus, & tutor eorum non in provincia vel jurisdictione sit. 8. Si incendium domi habeat.

Decima causa potest esse funus domesticum c. 20. Jord. UL.

XV. CAP.

Si plures unum citent, cui primum respondere debeat.

Si plures viri unum citent ad judicium, & uno die juridico, tunc illi, qui prior eum citabat, respondere debet, & postea aliis eo ordine, quo citatus erat. Si verò singuli dicant, se prius eum in jus vocasse, quàm alii, de hoc testabuntur illi, qui eum citarunt. Præses judicii tunc illis prius jus dicet, qui præcipuam actionem habent, & sic reliquis pro qualitate actionis.

XVI. CAP.

Quomodo citandus sit qui non habitat in eodem territorio vel jurisdictione.

Si quis citandus sit, qui est extra territorium & intra jurisdictionem, citabitur coram ecclesiæ paræcianis die Festo, vel in judicii loco ubi habitat. Et trium hebdomadarum spatio ad respondendum veniet, ex quo legitimè citatus erat. Si extra jurisdictionem & in regno sit, sex hebdomadarum spatio ad respondendum accedet, & citabitur, ut ante dictum est.

XVII. CAP.

Quomodo Lensmannus vel Exactor actionē instituere debeat, si non instituat actor.

Si

Si Lensmannus aliquem culpet cujuscunque rei causa, & eum arguat quasi clam mulctam solverit actori, & testibus veris probare possit, rem inspectam & cognitam esse eodem tempore; eandem convincendi eum potestatem habeat, quam actor, & actor conticuit jus (b) suum, eoque nomine mulctetur Regi ac territorio. Si Lensmannus tales testes producere non possit, reus impunis sit.

(b) *Et sup.c.50.Bygg.B. Ius vigilantibus scriptum est.*

XVIII. CAP.

Si actor actionem suam deserat, eam persequetur Lensmannus.

Si actor veniat in judicium, & actionem contra alium instituat, sed eam non persequatur, Lensmannus eam persequetur, ut prius dictum est: actor verò jure suo cadet (c).

(c) *art. 19. Process. Iudic. Reg.*

XIX. CAP.

Quomodo ille purgationem juratoriam stipulari & præstare debeat, qui publicâ famâ facinoris notatur, idque negat: hoc est inficiatorium & occultum facinus.

Si quis manifestâ famâ (d) cujuscunque facinoris aut rei notetur, ob eamque in jus vocetur, in primo judicio purgationem juratoriam spondere pro qualitate facti, & proximo judicio præstare debet. Si eam præstare possit, impunis sit, si non possit, causa cadat & pro ratione facti mulctetur. 1. §. Eadem lex esto, si quis contra alium litem intendat, nec habeat testes aut probationes, & alter inficias eat, tunc reus stipuletur & præstet juramentum, ut scriptum est, vel damnetur. Non tamen capite plectatur, nisi in illis causis, quas codex Legum nostrarum evidenter exprimit. Hoc dicitur inficiatorium & occultum facinus.

(d) *Vid. Synop. jur. Diss. 30. Qu. 2.*

XX. CAP.

Si quis alium accuset, & convincere eum testibus velit & possit, vel non possit, quomodo hoc sit decidendum.

Si quis illum, quem accusat, convincere testibus velit, nominet testes in eodem judicio; illi jurabunt & testabuntur proximo judicio. Si tunc actor illum plenis testibus vel aliis probationibus legitimè reum facinoris facere possit; secundum istæc judicabitur, & exquiretur jure quælibet pro se causa, pro circumstantiis facti. 1. §. Si verò non possit actor, vel nolit eum, contra quem agebat, testibus convincere secundum præsidis judicii sententiam, & res de capite alicujus, vel existimatione (e) agatur, actor mulctabitur XL. marcis. Si sit aliud factum, mulctetur tribus marcis, & qui accusatur, absolvatur tam in una quàm altera causa: Et hoc dicitur facinus testificatorium.

(e) *Synops. jur. Diss. 27. Qu. 2.3.*

XXI. *CAP.*

Omnes testes coram Judicio jurare tenentur, & quomodo jurare & examinari debeant. de pœna pejerantium. Ubi juramentum præstari debeat.

Omnes testes coram Rege, Episcopo, Judice provinciali, præside judicii territorialis & coram illorum adsessoribus jurabunt, antequam testentur de omnibus, de quibus testimonium perhibere debent, in præsentia rei: Atque ita se Deum adjuvare precabuntur, ut de illâ causâ rectè & verè testari volunt, & nihil in ea occultare terroris, potentiæ, invidiæ, amicitiæ, affinitatis vel consanguinitatis causa. Separatim etiam examinabuntur in judicio, ita ut nemo illorum audiat, quod alii testantur. 1. §. Si hæc testimonia, tanquam falsa, retractentur, quilibet testium mulctabitur novem marcis tripartiendis, & nunquam amplius ad judicium, testimonium aut juramentum admittentur, & disciplinam ecclesiasticam subibunt, & pendent singuli Episcopo trium marcarum mulctam. 2. §. Omnia testimonia & omnia juramenta coram judicio territoriali præstabuntur vero juridico die & loco coram Rege, Episcopo & Judice provinciali in loco judicii inquisitorii vel provincialis ubi habentur. Et nunquam jusiurandum contra iusiurandum, vel Nemda contra Nemdam ibit, coram eodem iudicio, in eadem causa; nisi Rex veritatem investigare velit*.

* *Extra ordinem & absque strepitu forensi.*

XXII. CAP.

XXII. *CAP.*

Si quis velit jusjurandum in judicio præstare, & actor non compareat, vel nolit prælegere juramentum, prælegat præses judicii.

Si is, qui præstare vult juramentum, compareat, & actor non compareat, vel adsit, & nolit præire jusjurandum; tunc colonus præstet juramentum, & præses judicii vel judex illud præeat aut prælegat, & sic juramentum hoc legitimè præstitum sit. Si quis postea hoc impugnare velit, tres viri possessionati, qui tunc judicio interfuere, jurabunt, legitimè illud factum esse. Nec alicui potestas sit hoc juramentum rescindendi, nisi appellatum sit, & Rex veritatem indagare velit.

Sup. c. 21. & 41. h. t. Synops. Jur. Diss. 30. Qu. 19.

XXIII. *CAP.*

Si quis sit duplicis linguæ in judicio.

Si adversarius in judicio proferat sermonem suum, in alio verò judicio variet sermonem suum; ille duplicis linguæ esse dicitur. Si ejus rei insimuletur, purget se cum sex viris, vel pendat sex orarum mulctam soli actori. Postea eodem sermone, quo in priori judicio utebatur, causam suam continuabit, sive sit actor, sive reus.

Confer. c. 4. Ting. UL. 6. eod. HL.

XXIV. *CAP.*

Remissum juramentum æquipollet præstito.

Si quis in iudicium veniat, & iurare vel testari debeat, & actor, Lensmannus & præses iudicii ipsi remittat iuramentum *(f)*; tam ratum erit remissum iuramentum, quàm præstitum. Si dissentiant, uno dicente remissum esse iuramentum, altero negante; sex viri tunc in iudicio præsentes testabuntur de rei veritate. 1. §. Culpatus facinoris, vel absolvetur vel damnabitur in territorio admissi facinoris, & mulctabitur in loco [g] habitationis.

(f) *Sed si quid ex causâ juramenti ad Regem & universitatem spectaret, alter in alterius præjudicium illud remittere non poterat, ut notat Stiernhök lib. 1. jur. vet. cap. X. Nec remitti poterat juramentum in controversiis super fundis, in causis violatæ pacis, furti, vis, rapinæ, veneficii, sententiæ Regis impugnatæ, & aliis causis gravioribus, de quibus in c. 17. Rätt. OL.*

(g) *Si possessionatus sit, & ex ejus domo mulctarum æstimatio fieri debeat.*

XXV. *CAP.*

Quomodo præſes judicii ſententiam ferre, vel mulctari debeat.

Si ruſticus in judicium veniat, & à præſide judicii territorialis legitimam ſententiam petat, ille verò neget ſe ſcire legem de iſta cauſa, liceat ipſi rem differre & ſecum ponderare in proximum diem juridicum: tunc debet ei præſes dicti judicii jus dicere vel mulctari tribus marcis. niſi coram judicio juret ſe ignorare legem de ea cauſa, poſtea remittat illud ad iudicem provincialem (*h*).

(*h*) *Vel potius ad Regem, aut ſupremum R. Judicium. art. 2.* Rätteg. *Ord.*

XXVI. CAP.

Si ſolutus & vagus ſervus delinquat, quomodo legaliter conveniendus ſit.

Si ille delinquat adverſus patrem familias, qui non habet quo luat, jure conveniatur, ut alius vir, de legitimâ mulcta. Sed pro homicidio, vulneratione & rapina comprehendi poteſt, ut ſuo loco poſtea deciditur. Si non poſſit ſolvere mulctam, laboret primò patrifamilias quotannis pro ſingulis tribus marcis, ad quas damnatus eſt, deinde Regi, & immunis ſit à territorio. 1. §. Si verò aufugiat eo tempore quo ſervire debebat patrifamilias, reus ſit trium marcarum, quoties hoc facit, & pro illis luat vel ſerviat, ut ante dictum eſt. 2. §. Si paterfamilias ſubſequatur & eum retrahere velit, impune eum apprehendat, ubi poteſt; ita tamen, ut non profanet templi aut cœnobii conſecrationem. Si paterfamilias eum capere nolit, capiat Regius præfectus. Si damnum ei inferatur, omne ſit impune, niſi in homicidio. Si occidatur, mulcta ſit xx. marcarum, & dimidia diſciplina Eccleſiaſtica. Paterfamilias verò ſolutus ſit à Regio præfecto, ſi vaga perſona ſic aufugerit à patre familias. Si non aufugerit, omne in eadem mulcta erit, qua liber hominis (*i*) mulcta eſt, ſive ipſe delinquat, ſive delinquatur contra eum. Eadem lex erit de conducta familia, ſi intra conductionis tempus aufugiat.

(*i*) *Vid. in fin. c. 19.* Särm. will. ll. *& ibi Not.*

XXVII,

XXVII. CAP.

Quomodo judicatum æstimandum sit, & quomodo æstimata terra redimenda sit. Et quilibet pro suo facinore luat.

Si quis legitimè condemnetur delicti sui causa, actor in judicium se conferet, & Præsidi judici territorialis hoc significabit: Præses ex judicio illi XII. viros nominabit, illi in rustici villam ibunt, & æstimabunt mobilia ac se moventia pecora, cuilibet pro quantitate delicti. Si hæc non reperiantur, frumentum & fœnum æstimabitur; si domi clausa sint, & agricola aperire nolit, impunè fores effringent. Si nec illa exstent, ædificia æstimabuntur. Si nec illa quidem sufficiant, ager ejus in alio pago situs æstimabitur: si nec ille exstet, in pago villatico sita æstimabuntur, pro quanto pretio possunt illi XII. viri. 1. §. Ubicunque terra æstimata est pro mulctis, colono potestas est eam intra [r] triennium redimendi, à die æstimationis. Si ille non possit redimere, redimant ejus propinqui intra idem tempus. Ille levet reditus ex terra qui eam possidet, & deducat eos inde, quando redimitur. Si intra triennium non redimatur, ille terram & pensiones annuas ex ea habeat, qui eam adquisivit, & nemo potestatem habeat sæpius inquietandi illam terram aut retrahendi. 2. §. Quoties paterfamilias mulctæ obnoxius fit, separantur ab ea uxoris partes, tam in immobilibus, quàm mobilibus. Si uxor delinquat, & paterfamilias lege damnetur, ut pro ea mulctam solvat, ex eius bonis mulctam pendet.

(r) in c. 13. h. t. est tantum annus. rationem differentiæ, vide in Synopsi Iur. Differt. 22. th. 14.

XXVIII. CAP.

Non debet quid æstimari pro aliquo, nisi legitimè citato & judicato.

Non potest præses judicii territorialis iudicium citare ad æstimandum alicujus bona domi eius, antequam XII. viri testati sint, quod legitimè sit citatus & auditus.

sup. c. 27. h. tit.

XXIX. CAP.

Si rusticus queratur nimium pro se, nec legitimè convento æstimatum esse.

Si

Si rusticus dicat se non judicialiter conventum, & pro se nimium æstimatum esse, æstimatores juratò adserent in judicio, quod non plus admisso æstimarint. Nemo enim insons, & bis in eadem causa mulctari debet.

c. 4. in fin. Rättst. *OL.*

XXX. CAP.

Decimæ, agrarium, depositum, communio bonorum exempta erũt æstimationi.

Si colonus agrarium vel decimas intus apud se adhuc habeat, quando æstimatio bonorum ejus instituenda est; illa, ut aliis debita, non veniunt in æstimationem. Si etiam plures bonorum possessionem cum eo communem habeant, vel si sit depositum, vel pecunia pro prædio, quæ testibus ad eum pervenit; hæc, ut domino vel alii debita, in æstimationem non eunt.

Confer. c. 21. Edzör. LL.

XXXI. CAP.

Si res æstimata judicialiter retractetur.

Si res æstimata judicialiter revocari possit, quilibet reddat quod cepit & quidem juratò, & liber sit à rapina: quia cum sententia receptum est, nec aliter.

c. 8. §. 3. Ting. *UL.*

XXXII. CAP.

Omnes lites & mulctæ judiciales in Svecia computari, æstimari & solvi debent secundum monetam Stocholmensem in pecunia aut pretio.

Omnes causæ, in quibus mulcta judicialis præstanda est, æstimari & solvi debent per omnem Sveciam secundum unam monetam, quæ est Stocholmensis moneta, vel ejus pretium, juxta marcarum aut orarum numerum. Si agatur de vita, sive rapina, sive furtum sit, reus non debet plecti capite, nisi mulcta ejus computetur secundum eandem monetam vel ejus pretium *(l)*. Juxta eam quoque juramenta præstanda sunt de pecunia & aliis mutuò vel commodatò datis.

(*l*) *in æstimatione quantitatis rei furtivæ.*

XXXIII. CAP.

Ejus mulcta qui nominatur in citatione vel Nemda, & recusat.

Quisquis legitimè nominatur in citatione vel Nemda, quæcunque tandem sit, vel nominatur ad inspectionem vel æstimationem, & recusat & deses residet absque legitimis impedimentis, mulctetur tribus marcis tripartiendis. 1. §. In omnibus testimoniis, Nemdis & juramentis erunt viri propria bona possidentes †.

† *quorum major fides & securitas, quàm solutarum personarum est.*

XXXIV. CAP

Nemdæ vel adsessorum mulcta qui non absolvunt vel damnant. Et qui non præstat stipulatam purgationem juratoriam, ille damnatus est.

Quando duodecim adsessores aliquem vel absolvere vel damnare debent, hoc in eodem judicio facient, vel singuli mulctabuntur tribus marcis. nisi omnes jurent se de eo veritatem ignorare, nec causam cognoscere posse illa vice; tunc liceat illis suspendere causam ad proximum judicium, & vel absolvere, vel damnare *(m)*, vel mulctari ut dictum est. 1. §. Qui verò juramentum purgationis promittit, nec dicto die & loco præstat, damnetur in causa principali.

(*m*) c. 7. Ting *UL.* Han är fäller sit fäller sielwer: *Damnatus est, qui se ipsum damnat.*

XXXV. CAP.

Si inter adsessores non conveniat.

Si inter adsessores convenire non possit; quem septem * eorum absolverint, absolutus sit, quem non absolverint, damnatus sit.

* *Major pars concludit.*

XXXVI. CAP.

Si suspicio sit de aliquo adsessorum, eum studio partium esse addictum.

Si actor vel reus suspicetur aliquem adsessorum studio partium esse addictum, ille excedet judicio, & alius in ejus locum substituetur, donec ista causa finita sit, nec sit potestas plures quàm tres in una causa emittendi. *art. 8. de proc. juris.*

XXXVII. CAP.

Quomodo à Nemda sit appellandum.

Si quis à Nemda appellare velit, appellet ante ejus juramentum (*n*). A territoriali judicio actor appellet ad judicium provinciale sub tribus marcis, & quilibet Nemdarius sub dimidia marca. A judicio provinciali appellet actor ad Iudicium Regium, Inquisitorium vel Regionis, sub sex marcis, & quilibet adsessor sub una marca. Si causa cadat actor, dimidium appellationis pecuniæ capiat Nemda, à qua appellabatur, & dimidium judex provincialis aut Rex. Si vincatur Nemda, dimidium capiat judex provincialis vel Rex, & dimidium actor.

(*n*) *ne fortè perjurium committatur.*

XXXVIII. CAP.

Quomodo à judicio territoriali appellandum sit.

Si præses judicii territorialis ferat sententiam, à quis appellare velit, in eodem judicio appellet, vel intra proximos octo dies (*o*), vel postea appellandi potestatem non habeat. Si quis appellet à judice territoriali, actor sub XII. oris, & judex territ. sub tribus marcis ad judicem provincialem. Si actor causâ cadat, judex territ. capiat dimidiam marcam, dimidiam marcam judex prov. & dimidiam marcam territorium. Si judex territor. causâ cadat, actor marcam unam, alteram judex provincialis, & tertiam territorium capiat.

(*o*) *Fatalia appellationis. art.24.Proc.Jud. R.*

XXXIX. CAP.

Quomodo à judicio provinciali sit appellandum. & de violatione sententiæ præsidis judicii territorialis & provincialis.

Si colonus aut judex territorialis appellet ad judicem provincialem, colonus vel judex provincialis sub tribus marcis appellet, & judex prov. sex marcis. Si causâ cadat colonus vel judex territorialis, judex provincialis unam marcam, alteram Rex, tertiam territorium capiet. Si judex provincialis causa cadat, appellans duas marcas, Rex duas marcas, & duas marcas territorium capiet. 1. §. A judice provinciali appellatur ad Regem vel Regiam Nemdam. Si quis violet judicis territorialis sententiam, mulctetur tribus marcis: si quis violet judicis provincialis sententiam, mulctetur sex marcis. *art.* 13. Råttegångs *Ordin.*

XL. CAP.

Quomodo Rex judicium directorium instituere debeat; & quomodo ad illud citatio & conventio habenda sit.

Quando Rex, vel qui ejus judicium habent, judicium directorium habere volunt, hoc sex hebdomadis prius literis suis significabunt, alio tempore quàm de judicio inquisitorio (Räfsting) præscriptum est*. 1. §. Acturus tunc contra alium, citet eum cum duobus possessionatis viris, ad locum judicii & habitationis rei, intra proximos XIV. dies à tempore literarum prælectarum. Si tunc non impeditus non compareat, nihilominus Rex vel qui Reg's vices sustinent, in illa causa judicabunt, atque si adesset. 2. § Omnes in territorio habitantes tenebuntur in dicto judicio adesse, vel singuli mulctabuntur una marca; nisi legitima impedimẽta habeant: & ille sit actor, qui litem intendit.

* *nimirum in cap. 9. h. tit.*

XLI. CAP.

De adsessoribus judicii Regii directorii, & qualis eorum sit potestas.

In hoc judicio directorio † judex territorialis adsessores nominabit, duodecim viros ex territorio, dimidia parte Nobiles, & dimidia parte rusticos & colonos, bonos possessionatos viros, quos adversarii & territoriales approbent; viros integræ vitæ & veritatis studiosos, non falsos aut fallaces, non adversarios, non privatis affectibus deditos nominabit. Judex territorialis ipse in ea Nemda erit, nec alius ejus loco; nisi legitima impedimenta habeat. 1. §. Quem hæc Nemda absolvit vel damnat, ratum, non irritum erit: ab hac etiam nemo appellabit. Regi tamen licebit omne verum exquirere, vitiosè vel nimis leniter ac remissè judicatum vel exactum exasperare, nimis rigidè judicatum vel exactum lenire. Judex verò causas legibus decidere debet.

† *Hoc judicium hodiè quoq; abrogatum est. vid. Process. Iudicii R. art. 20. §. 3.*

XLII. CAP.

De victu in Regio judicio directorio.

Quo tempore Regium judicium habendum est, Regis prætor

pro illis qui id habent cum octo equis victum præbebit, & pro illis qui Judicii Sigillum habent cum tribus equis. Et præses territorii pro judice provinciali cum octo equis alimenta præbebit, & pro Nemda & quolibet Nobili ejus cum duobus equis, pro quovis rustico & colono cum uno equo. Et pro impensa victus capiet omne jus territorii, quod pro Nemda tunc in fiscum cadit, quivis præses in suo territorio.

Hæc hodiè etiam, ut judicium directorium, abrogata sunt.

XLIII. CAP.

De strepitu, maledictis, minis & convitiis repentinis in judicio.

Si quis gravem strepitum moveat in judicio, sex oris mulctetur, judicio soli addicendis. Si quis apertè maledicat alii coram judicio, minetur vel mendacem vocet, duodecim oris tripartitis mulctetur. 1. §. Si quis alii convitium subito motu faciat, quodcunque ad existimationem ejus spectet, tribus marcis tripartitis plectatur, si statim verba sua revocet: quod si nolit antequam exeat judicio, jure hujus tituli mulctetur. Si non caveat de satisfaciendo in eodem judicio, illa mulcta exigatur ut alia, & quadruplo augeatur, & sex viri, qui in judicio erant, cognoscant, num convitia fuerint vel minus, & num hoc fecerit ex repentino motu, vel longo odio *

* *Confer. Synops. jur. Diss. 27. th. 8.*

TITULUS VIII.

DE TURBATIONE AUT VIOLATIONE PACIS à REGE JURATÆ.

1. *SI quis alteri violet pacem domesticam, & damnum ei, ejus familiæ vel hospitibus inferat.*
2. *Si quis noceat illi qui alterius vim vitans confugit in alterius domum.*
3. *In quibus ædificiis & quàm latè pax domestica patrisfamilias se extendat.*
4. *Si quis accipiat damnum, antequam in domum quò confugerat, deveniat.*
5. *Si quis invadat alterius domum nocendi animo, & tamen nocere nequeat.*
6. *Si is damno afficiatur, qui nocendi animo ingreditur alicujus domum.*
7. *Si ille, cui violenta invasio intentatur, excurrat domo sua, & postea faciat vel accipiat damnum.*

8. Si

8. *Si homines sedati & concordes conveniant, & discordes discedant, & alter redeat cum armis.*
9. *Si quis ultionem exerceat post rem conciliatam & mulctam solutam.*
10. *Si quis vindictam exerceat post mulctas promissas vel cautas, vel partem mulctarum solutam.*
11. *Si quis vindictam exerceat in alium, & alius committat facinus.*
12. *Si quis vi stupret aut rapiat fœminam.*
13. *Si quis insidias alteri struat in via ad Judicium vel Ædem sacram ferente.*
14. *Si quis inferat alicui damnum in ipso templo vel judicio.*
15. *Si quis ex templo vel judicio se conferat ad cauponam.*
16. *Si quis repellat alium à legitima actione vel citatione.*
17. *Si quis amputet alii manus aut pedes per violentiam.*
18. *Si quis ulciscatur pro sententia in se lata.*
19. *Si quis alium domi suæ comprehendat, & vi abducat.*
20. *Si quis insimuletur furti vel alterius facinoris, ligetur & vinciatur.*
21. *De pœna violantium jusjurandum regium, & de ære alieno ipsorum. Non privantur alienâ pecuniâ.*
22. *Quomodo causa violati juramenti regii manifestari & cognosci debeat coram judicio territoriali.*
23. *Judicii territorialis adsessores debent accusatos vel absolvere vel damnare in violatione juramenti regii.*
24. *Quomodo condemnati in judicio sint enumerandi, ejurandi & proscribendi; & de die proscriptionis eorum.*
25. *Si violetur juramentum in colono vel inquilino.*
26. *Si quis refugium capiat in coloni domum ex necessitate, & occidatur aut vulneretur.*
27. *Quando publicanda sint proscripti bona; atq; si occidatur ante proscriptionis terminum.*
28. *Quisquis receptat & alit proscriptos vel bannitos.*
29. *Si quis receptet bannitos cum alterius incommodo.*
30. *Si bannitus occidatur post terminum banni.*
31. *Si extra regnum occidatur, vel invectus occidatur. Bannitus non perdit bona uxoris suæ.*
32. *Quomodo bannitus sibi restitutionem in integrum quærere debeat, & si moriatur ante restitutionem.*
33. *Quid de proscripti vel banniti immobilibus agendum sit, item de pensionibus annuis tempore proscriptionis, & post ejus mortem.*
34. *Si aufugiat proscriptus, & mobilia ejus non sufficiant solutioni æri alieni & causæ ejus, quomodo tunc terra ejus æstimanda sit.*

35. *Si violator juramenti regii in flagranti crimine deprehendatur, quomodo jus ei dicendum sit.*
36. *Mulier aut impuber non potest violare juramentum regium.*
37. *De violatione pacis in agro vel prato tempore veris & messis.*
38. *Si quis insons puniatur, decolletur aut suspendatur.*
39. *Si quis alium castret, eruat ei oculos vel dentes, praecidat aures, linguam vel nasum, quomodo hoc cognosci & dijudicari debeat.*
40. *Quisquis vi rapit ad dimidium marcæ, capite plectetur.*
41. *Si quis minus dimidio marcæ rapiat.*
42. *De prædonibus & piratis.*
43. *Si quis fruges in alterius hortis clausis vi rapiat, & possessori damnũ inferat.*
44. *Si quis jubeat aut conducat alium ad malefacta perpetrandum.*

I. CAP.

Si quis alteri violet pacem domesticam, & damnum ei, ejus familiæ vel hospitibus inferat.

SI quis ingrediatur alterius domum eo proposito, ut patrifamilias, ejus familiæ vel cuicunque qui in ejus domo est, vel hospiti illius, vel qui confugit in ejus domum ex necessitate, damnum inferat, occidat, cædat, graviter vulneret, tibias feriat aut percutiat ad livorem vel sanguinem usque: omnes qui in cætu & comitatu sunt [p], violarunt pacem à Rege juratam.

(p) *& in ipso consilio & actu, cap. 24. 27. 35. h. tit.*

II. CAP.

Si quis noceat illi qui alterius vim vitans confugit in alterius domum.

Si quis confugiat in alterius domum vitans persequentem se inimicum, & persequens jaciat vel jaculetur quid in illum, ex quo necem, plenum vulnus aut livorem accipiat, & quidem tunc, postquam venit in ejus domum, in quam auxilii causa confugerat: iste & omnes, qui cum eo erant, violarunt pacem à Rege juratam [q].

(q) *De servanda pace domestica cap. 4. artic. 7. RB. LL.*

III. CAP

III. CAP.

In quibus ædificiis, & quàm latè pax domeſtica patrisfamilias ſe extendat.

Quantum paterfamilias comprehendit ædificiis & ſepibus in fundo, in quo habitat, ibi pace domeſticâ pro ſe & omnibus ſuis fruitur. 1. §. Si balneum extra conſeptum fundum, officina fabrilis, latrina vel horreum conſiſtant, in his ædificiis eandem pacem domeſticam quis habet, quam in fundo vel principali domo. quisquis ibi vim patrifamilias fecerit, violavit pacem domeſticam.

c. 12. Manhälg. UL.

IV. CAP.

Si quis accipiat damnum, antequam in domum, quò confugerat, deveniat.

Si quis accipiat damnum præcurrens, antequam perveniat in ejus fundum vel prædium, quò confugiebat, non violata eſt pax* domeſtica.

* *Quia foris extra domum factum eſt illud.*

V. CAP.

Si quis invadat alterius domum nocendi animo, & tamen nocere nequeat.

Si quis invadat alterius domum nocendi propoſito, quamvis nocere non poſſit, mulctabitur tamen XL. marcis pro doloſa invaſione [r]: vel purgabit ſe duodenæ manus juramento à propoſito nocendi. 1. §. Si qui effringant fores, vel adveniant cum tenſo arcu, ſtricto gladio, vel aliis hujusmodi armis, & inveſtigent eum cui nocere cupiunt in patrisfamilias domo, etiamſi damnum nullum inferant, mulctabuntur, ut præſcriptum eſt, nec inficiabuntur, ſi ita teſtetur Nemda territorialis.

(r) *Vid. Synops. jur. Diſſert. 29. Qu. 28.*

VI. CAP.

Si is damno afficiatur, qui nocendi animo ingreditur alicujus domum.

Si

Si ille, qui nocendi animo invadit alicujus domum, vulneretur, occidatur, vel ad ſanguinem usque percutiatur in ipſo invaſionis actu, omne illud impune eſt quod accipit. Si verò hujusmodi invaſores elabi poſſint, omne quod in prædio aut fundo accipiunt, impune eſt. 1. §. Si verò colluctentur in veſtibulo domus, & pedes cadant intra, & caput extra veſtibulum domus, nimirum ejus caput, qui nocendi animo ingrediebatur, impune ſit. Si pedes extra, & caput [s] intra veſtibulum cadat: ille, cujus erat caput, pacem domeſticam primus violaſſe præſumitur; quia inde cadebat, ubi pedes ſtabant.

(s) *Synops. jur. Diſſ. 29. qu. 23. hoc explicatur.*

VII. CAP.

Si ille, cui violenta invaſio intentatur, excurrat domo ſuâ, & poſtea faciat vel accipiat damnum.

Si excurrat ille prædio ſuo, ad quod adequitant, & occidat, percutiat aut cædat eos, poſtquam excedunt prædio ejus; mulctetur ſecundum leges provinciales. Si ille quoque vulneretur aut interficiatur, poſtquam exceſſit ipſe prædio ſuo: illi, qui hoc fecerunt, mulctentur ſecundum leges provinciales *.

* *Quia pax domeſtica hic violata non eſt. c. 6. h. tit.* Sl.

VIII. CAP.

Si homines ſedati & concordes conveniant, & diſcordes diſcedant, & alter redeat cum armis.

Si homines in domo amici conveniant, & inimici diſcedant, ibi non violata eſt pax domeſtica (t): niſi exeat domo iratus, & regrediatur in domum armatus vel auxilio inſtructus, cædat, percutiat aut vulneret; tunc ille, & omnes qui cum eo erant, pacem domeſticam violarunt.

(t) *Sed hoc accidit ex ſubitâ diſſenſione, c. 13. h. tit. & 14.* Sl.

IX. CAP.

Si quis ultionem exerceat poſt rem conciliatam & mulctam ſolutam.

Si quis vindictam exerceat poſt cauſam conciliatam & mulctam ſolu-

solutam, violavit juramentum regium. Nemda verò probabit, num alia dissensio intervenerit, vel minus., c. 2. Edzör. *OL.*

X. CAP.

Si quis vindictam exerceat post mulctas promissas vel cautas, vel partem mulctarum solutam.

Nemo debet vindictam exercere post mulctas promissas & cautas, nisi velit juramentum regium violare. Si mulctæ promissæ sed non cautione firmatæ sint, vel si ita conventum sit, ut nisi intra præfinitum tempus solutæ sint, se ulciscatur: Si ultionem exerceat, non violavit juramentum regium, sed solvet legitimam mulctam pro qualitate delicti. Si aliquid mulctarum solutum sit, non est locus vindictæ, sed jure exigatur residuum: si secus, violabitur juramentum regium.

Vid. Synops. jur. Diss. 30. Qu. 21.

XI. *CAP.*

Si quis vindictam exerceat in alium, & alius committat facinus.

Non est vindicta exercenda in alium, dum alius perpetrat facinus: quod si faciat, violat juramentum regium. Judicium cognoscet, num ille, in quem ultionem exercebat, committeret facinus, vel alius; vel quæ alia dissensio inter eos orta sit, vel cur in alium vindictam exerceat: quam si exerceat, violavit juramentum regium †.

† *Quia propositum ulciscendi habuit, etiamsi in persona erravit.*

XII. *CAP.*

Si quis vi stupret aut rapiat fœminam.

Si quis vi stupret fœminam, & deprehendatur in flagranti crimine, testantibus XII. viris, præses judicii territorialis per baculum denunciatorium statim judicium convocabit, & capitis eum damnabit, nec diutius hoc differet. Si quis redemptionis pretium* ab eo capiat, mulctabitur XL. marcis, soli Regi addicendis, & restituet redemptionis pretium, cujus una dimidia pars fœminæ stupratæ, altera Regi dabitur. Si non sit in ipso actu deprehensus, & obtestetur fœmina quod malignam suam voluntatem cum ea expleverit, vel dicat, quod cum ea luctatus sit, nec potuerit libidinem suam cum ea perficere, & vestigia ruptæ vestis in illo vel illa appareant, atque

* *Pro redimenda vita.*

atq; ſigna livoris aut ſanguinis, vel auditus ſit clamor & invocatio; hæc Nemda territorialis cognoſcet:Si damnet eum,violavit juramétum regium. 1.§.Si fœmina virũ ſibi ſtuprum violentum intentantẽ occidat, impune erit (*u*).2.§.Si vir fœminam vi rapiat & cum ea regno excedat, ejusque facinoris legitimè convincatur, nunquam in integrum reſtituetur, antequam fœminæ legitimus maritus intercedat pro eo, ſi nupta fuerit,vel propinqui ejus, ſi innupta fuerit.

(*u*) *Defenſio vitæ & pudicitiæ in pari. Imò bonis metus infamiæ, & pudicitiæ violandæ major, quàm mortis eſſe debet,* ut dicitur in l. 8. §. 2. D. quod met. caus. *ideò violenti ſtupratoris homicidium impune eſt.*

XIII. *CAP.*

Si quis inſidias alteri ſtruat in viâ ad judicium vel Ædem ſacram ferente.

Si quis alteri inſidias paret in via ad judicium vel Templum ferente,iſtac vel inde,& occidere,vulnerare aut cædere velit,& aliquid horum fecerit,violavit juramentum regium. Si verò ex ſubita diſſenſione hoc acciderit, non violatum eſt juramentum regium (*x*). Si quis inſidietur alteri in viâ templi vel judicii,eique nocere velit, quamvis non poſſit, tendat arcum, gladium aut cultrum ſtringat, vel aliis armis ei aſſultet, vel propellat ante ſe lapide vel pertica, ſex marcis mulctabitur: hoc ſtabit teſtibus præſentibus & ſex viris in judicio. Si ejus facinoris inſimuletur, purget ſe ſex virorum juramento, vel mulctetur, ut dictum eſt. Si quis diſcindat veſtes aut arma alterius, aut trudat ac male tractet eum in dictâ viâ, nec cruoris ſigna appareant, purget ſe ſex virorum juramento, vel novem marcis mulctetur.

(*x*) *Convenit proverbium:* Bråtſkilnat bryter inter Edzöre/doch dråpmal förvehan, i. e. *ſubita diſſenſio non frangit juramentum regium,excepto tamen homicidio.*

XIV. CAP.

Si quis inferat alicui damnum in ipſo templo vel judicio.

Si quis interficiat alium,percutiat aut cædat ad ſanguinem aut livorem usque,in judicio vel ipſo templo [*y*],violavit juramentum regium;niſi caſu fiat. Ibi enim omnes ſecuritate frui debét.

(*y*) *Vel cæmiterio. c. 21.* Kyrkio B. *c.16.§.3.eod.*

XV. *CAP.*

Si quis ex templo vel judicio ſe conferat ad cauponam.

Si

Si quis discedat ex templo vel judicio ad cauponam, antequam domum redeat, vel ad alium locum: Si ejus inimici istic ante eum sedeant, occidant aut vulnerent illum, non violarunt juramentum regium. (z).

(z) *Quia non factum est in via templi vel judicii, inf. c. seq. §. 1.*

XVI. *CAP.*

Si quis repellat alium à legitima actione vel citatione.

Si vir repellat alium à legitima actione, nec tamen interveniat percussio, sanguis aut livor, mulctetur XL. marcis tripartiendis, nec reus sit violati juramenti regii. Judicium verò territoriale cognoscet, num fugerit compulsus, vel sponte sua, vel alter repulerit eum à judiciali citatione, vel num alia dissensio intervenerit, non ex citatione. 1. §. Securitate verò ad ædes suas & judicium, & sic iterum domum suam fruetur. Si quis illum necet, vulneret, aut caedat ad sanguinem usque in via ad judicium, vel à judicio, dum illud adire volebat, iste violavit juramentum regium.

Confer. c. 5. Edsör. *OL. & tit. D. Ne quis in jus vocatum vi eximat.*

XVII. CAP.

Si quis amputet alii manus aut pedes per violentiam.

Si quis alium deducat ad stipem vel alium locum, & amputet ei manus aut pedes per violentiam, tunc ille & omnes qui cum eo erant, violarunt juramentum regium; & in arbitrio ejus, qui homicidium aut vulnus accepit, vel hæredum ejus erit, pro eo intercedere (*a*) vel non, ne in bannum damnetur. Si ex subita dissensione acciderit, & aliquis eorum vulnus, necem, vel sanguinis signa acceperit, ibi non est violatum juramentum regium,

(*a*) *S. j. Diss. 29 Qu. 9.*

XVIII. CAP.

Si quis ulciscatur pro sententia in se lata.

Si quis ultionem exerceat in illum qui sententiam tulit, vel accepit, occidat, graviter vulneret, vel ad livorem & sanguinem cæ-

cædat, vel ultionem exerceat in eum qui testatus est contra eum in judicio, vel quod proprium suum legitimè defendit adversus eum in judicio, tunc ille, & omnes qui cum eo erant, violarunt juramentum regium (*b*). Judicium verò territoriale cognoscet, num pro eo ulcisceretur, vel alia dissensio interveniret.

(*a*) *Ob actum dolosum, & violationem pacis.*

XIX. *CAP.*

Si quis alium domi suæ comprehendat, & vi abducat.

Si quis domi investiget alium, & vi abducat ex sua villa, etiamsi non effringat domum, vel cædat ibi quenquam ad sanguinem, tamen violavit pacem domesticam. nisi Regis sententia (*c*) præcesserit, vel alterius qui regium judicium exercet, vel convincatur veri furti, vel res furtiva investigando reperiatur in domo ejus, vel reus sit capitis ob alia manifesta delicta, talis non debet pace domestica frui.

(*c*) *Juris executio nullam habet injuriam. & contra leges delinquenti non patet legum auxilium.*

XX. *CAP.*

Si quis insimuletur furti vel alterius facinoris, ligetur & vinciatur.

Si quis insimuletur furti, vel cujuscunque facinoris, apprehendatur, ligetur, vinciatur & torqueatur non convictus, nec in manifesto facto deprehensus, & absque sententia Regis vel regii judicii, in eo committitur violatio juramenti Regii, nec XL. marcarum mulcta hîc locum habet, ut olim (*d*). Quilibet enim pace ac securitate in suis bonis ac pecunia, & sigillatim in propriâ suâ vitâ & corpore fruetur.

(*d*) *Hæc tamen mulcta alibi, nimirum in cap.* XL. *inf. h. tit. & cap.* XXXI. Manhälg. UL. *& c.* XI. Högmål. ÖG. *in pari ferme casu permittitur, cur etiam non hîc? Ratio differentiæ inter utrumque caput hæc videtur esse: quod in hoc capite ligatus & male tractatus esse dicatur* non convictus (oförwunnin) *& absq; sententia judiciali: quod iniquius est, ideoquè majori pœnâ, quàm dictâ mulctâ, dignius visum; de quo in hoc cap.* 29. *agitur. Sed in c.* 40. *h. tit. rapinæ insimulatus dicitur in judicium deductus, auditus & examinatus, & causa cognita esse, & vi eum capiens ac trahens damnatur ad* XL. *marcas.*

XXI. *CAP.*

De pœna violantium jusjurandum regium

gium, & de ære alieno ipſorum. Non privandos eſſe aliorum pecuniâ.

Quicunq; violant juramentum regium, & quotquot cum illis in cætu & comitatu ſunt, dum facinus committitur, eorum omnia mobilia publicantur, exceptis bonis ſoli, & ex omni Svecia proſcribuntur. 1. §. Eorum mobilia in tres partes dividentur: terræ, ubi pax domeſtica violabatur, poſſeſſor, unam partem mobilium capiet, alteram Rex, tertiam territorium; ita tamen ut æs alienum eorum, quod juſtè debebant, antequam juramentum regium violarant, prius ſolvatur ex indiviſo, & deinde, quod territorio jure debetur pro qualitate facti. Si bona non ſufficiant æri alieno & territorii juri ſolvendis, ambo pro quota careant. ſi bona plura ſint, quod ſupereſt in tres partes dividatur, ut ante dictum eſt. 2. §. Non debent privari parte bonorum liberorum, ſi quos habeant, nec parte uxoris, nec ædibus in uxoris terra aut fundo ſitis; nec ullius parte qui cohabitat cum illis. Quilibet enim ex ſuo delicto plectetur, nec alterius culpam præſtabit (e).

(e) *Secundum hac verba, ſupplici vidua, ob violatam pacem publicam ab ejus marito jam defuncto, privata bonis ſuis allodialibus & bonis paternis liberorum, domoque ſuâ Holmia ſitâ, literis donationis Guſtavi I. & Erici ei confirmata, omnia ſua reſtitui fecit Iohannes III.*

XXII. CAP.

Quomodo cauſa violati juramenti regii manifeſtari & cognoſci debeat coram judicio territoriali.

Quando violatur juramentum regium, actor hoc manifeſtabit coram parœcia vel judicio, ubi facinus commiſſum eſt, vel etiam coram Rege, ut prius dictum eſt in titulo de Rege. Poſtquam facinus ita publicatum eſt, præſes judicii territorialis per baculum denunciatorium judicium indici & convocari curabit. Ad illud facinoris author tutò accedet, & inde tutò recedet (f). Nemda territorialis exquiret & cognoſcet quid veriſſimum ſit in tali caſu. Si adſint teſtes, coram Nemdâ jurent ſinguli, præeunte illis juramentum præſide judicii territorialis.

(f) *Salvus Conductus acceſſum & receſſum tutum complectitur. c. 36. R. B. LL.*

XXIII. CAP.

Judicii territorialis adſeſſores debent

accusatos vel absolvere vel damnare in violatione juramenti regii.

Judicii territorialis adsessores in eodem judicio, vel proximè subsequenti, vel absolvere vel damnabunt insimulatos facinoris, & quidem violati juramenti regii. Si eum absolvant, sit absolutus, & actor legitimè eum conveniat secundum qualitatem delicti, prout in Codice Legum nostrarum expressum est.

XXIV. CAP.

Quomodo condemnati in judicio sint enumerandi, ejurandi & proscribendi; & de die proscriptionis eorum.

Si damnent eum violati juramenti regii, præses judicii territorialis in eodem aut proximo judicio omnes enumerabit, qui in cœtu & comitatu fuerunt, cum facinus committeretur. Et quando eos enumeravit, Nemda territorialis omnes jurabit exsules, & præses judicii damnabit eos bannitos per totam Svetiam. Habebit tamen reus menstruum spatium à tempore admissi facinoris, ad transigendum cum actore, si possit [g], salvo jure Regis, possessoris & territorii. 1. §. Si subducat bona sua, postquam reus arguitur, in commissum cadunt istæc bona subducta, & ille proscribitur.

(g) Om saterna så förewetta/ at han må förlijkas. *art.* 23. R.P. *S. j. Differt.* 29. *Quæst.* 6.

XXV. CAP.

Si violetur juramentum in colono vel inquilino.

Si colonus, cujus pax domestica violatur, adsit, vel in conducta domo habitet, atque ille vel ejus familia vulnus vel percussionem cruentam accipiat, vel occidatur, idem juris habebit ac si propria ejus terra esset, præter mobilium divisionem aut publicationem [h].

(h) *Confer. cap.* 8. *h. tit. OL.*

XXVI. CAP.

Si quis refugium capiat in coloni domum ex necessitate, & occidatur aut vulneretur.

Si

Si alius qui ad coloni villam confugit, vulnus, aut damnum, aut necem accipiat: actoris arbitrio stabit supplicatio pro restitutione à banno, & mulcta pro vulneratione: & possessor terræ tertiam partem *(i)* ex publicatis bonis capiet.

(i) *Si tantum ei debeatur. Vid. sup. c. 21. & inf. c. 33. 34.*

XXVII. CAP.

Quando publicanda sint proscripti bona; atque si occidatur ante proscriptionis terminum.

Nullius viri bona publicanda sunt, antequam legitimè convictus sit proscriptionis aut banni. Nec occidendus est intra præfixum diem judicialem juratæ proscriptionis. Sed pro occiso pœnitentia & mulcta præstetur, velut pro alio insonte homine, & funus ejus in cæmiterio sepeliatur.

XXVIII. CAP.

Quisquis receptat & alit proscriptos vel bannitos.

Si quis receptet illos & alat ad unum prandium, postquam eorum dies menstrui finiti sunt, mulctetur tribus marcis; si diutius eos teneat & alat, mulctetur XL. marcis, quoties ejus facti legitimè convincitur, vel purget se XII. virorum juramento, quod bannitum hospitio non receperit aut nutriverit, vel quod ignoraverit, ipsum esse bannitum.

Vid. Gail de Pace pub. 2, 1, 20.

XXIX. CAP.

Si quis receptet bannitos cum alterius incommodo.

Si quis hospitio recipiat bannitum cum alterius incommodo, tam reus sit [*k*], quàm bannitus, si quid facinoris admiserit. Bannitus tamen nihilominus secundum qualitatem delicti plectetur. Nemda territorialis quid de eo verum sit cognoscet ac testabitur.

(*k*) *l. 1. 2. de receptator.*

XXX. CAP.

Si bannitus occidatur post terminum banni.

Si quis ab actore vel alio occidatur intra regnum, postquam in bannum damnatus est, & legitimi ejus dies exspirarunt, hoc impune sit † pro Ecclesiâ & Rege; nisi legitimum tempus banni à Rege habeat.

† *Non esse hoc statutum irrationabile, ut volebat Arnisæus, probavi in Synops. jur. Diss. 29. Qu. 21.*

XXXI.

Si extra regnum occidatur, vel invectus occidatur. Bannitus non perdit bona uxoris suæ.

Si quis proscriptus sit ex regno, & postea extra regnum occidatur, vel extra regnum capiatur, & vi iterum inductus in regnum deinde interficiatur; pro eo mulcta & pœna ecclesiastica solvi debet, ut pro alio insonte homine, & funus ejus in cœmiterio humari debet: Non enim in pluribus regionibus banno plecti debet, quàm in illa regione, in qua facinus commissum est. 1. §. Non etiam pro violatione juramenti regii uxoris terra vel domus in ejus fundo stans publicabitur: Quia in nostris Legibus non dotatur vir in allodialem terram, domum, vel opera allodialia piscatoria uxoris suæ, nec uxor in viri, sed in alia omnia mobilia. Nec communitatis terra publicabitur, etiamsi pro re mobili (*l*) computetur.

(*l*) *Ratione nimirum ædificii in alieno solo exstructi, quod loco moveri potest: vel quod æstimatione ejus factá, mobilia inde solvi possunt à colono conductitio. Vid. Lexic. jur. in* Allmänning.

XXXII. CAP.

Quomodo bannitus sibi restitutionem in integrum quærere debeat, & si moriatur ante restitutionem.

Banniti proscripti erunt, donec ille, contra quem deliquerunt, pro eis intercedat, vel hæredes ejus. Quando intercedunt pro læso, Rex eos restituet in integrum (*m*), vel qui talem à Rege potestatem habent. Apud Regem verò se redimunt XL. marcis, quæ

quæ erit peculiaris Regis mulcta. 1. §. Si bannitus moriatur ante restitutionem in integrum, hæredes ejus ex bonis ejus legitimas mulctas præstabunt, sive de homicidio, sive vulneratione, actori, Regi & territorio.

(m) *Respectu Regalium vel jurium Majestatis, c. 31. RS. ll.*

XXXIII. CAP.

Quid de proscripti vel banniti immobilibus agendum sit, item de pensionibus annuis têpore proscriptionis, & post ejus mortem.

Banniti viri bona soli judex provincialis & præses judicii territorialis habebunt, hac conditione, ut eis præponant curatorem, qui pro illis rationem reddat, ut proventus indè nulli alii usui impendantur, quàm solutioni æris alieni, quod legitimè debebat, * ante violationem juramenti regii. Quod superest, erogetur pro anima ejus in pauperes, vel in Ecclesiam & cœnobium, donec restituatur in integrum, vel moriatur. Quando mortuus est, legitimi ejus hæredes habeant ista bona.

* *cap. 21. h. tit.*

XXXIV. CAP.

Si aufugiat proscriptus, & mobilia ejus non sufficiant solutioni æris alieni, & causæ ejus, quomodo tunc terra ejus æstimanda sit.

Si bannitus excedat regno, qui tam exiguum in mobilibus possidet, ut non sufficiat ejus debito & mulctæ solvendis, & tamen bona soli in regno habeat, atque intra annum & noctem, ex quo aufugit, non ita transigat cum actore, ut restitutionem in integrum ei à Rege procuret; XII. viri bona soli ejus æstimabunt, & prius æs alienum ejus solvent, & quod actori debetur: quod superest, confiscabitur, & dividetur, ut ante † dictum est.

† *cap. 21. h. t.*

XXXV. CAP.

Si violator juramenti regii in flagranti crimine deprehendatur, quomodo jus ei dicendum sit.

Si quis violet juramentum regium & in recenti facinore deprehendatur intra eundem diem naturalem ; præses judicii per baculum denunciatorium judicium convocabit in loco delicti: Nemda de eo verum cognoscet. Si homicidium commiserit in violata pace domestica, & hoc testetur Nemda territorialis; præses judicii territ. eum capitis damnabit, & omnes cum eo captos, & ejusdem actus participes. Si ceciderit aliquem ad sanguinem vel livorem, vel aliud damnum dederit, violationem juramenti regii contingens; præcidatur ei dextra *(n)*, & aliis in eodem actu versantibus. Pro rapinâ mulctabitur, ut deinde suo loco determinatur, & pro ratione æstimationis: Et pro violatione juramenti regii, sive capite plectenda sit, sive non, mobilia eorum publicabuntur, ut ante dictum est.

(*n*) *Confer. c. 27.* R.B. LL. c. 36. Dráp. LL.

XXXVI. CAP.

Mulier aut impuber non potest violare juramentum regium.

Mulier non potest violare juramentum regium, quia non debet in bannum damnari [*o*]. Nec impuber violare potest juramentum regium: si actio eo nomine contra illum instituatur, Nemda jurabit, eum nondum xv. annorum esse; sed mulctetur, velut in tit. de Vulneratione deciditur.

(*o*) *Non repugnat huic capiti caput 29. de homicidio voluntario: utrumque enim de diversis objectis vel casibus agit; hoc simpliciter negat, ob violationem juramenti regii proscribi posse; illud affirmat, ob homicidium proscribi posse, sed cum conditione, si mulctam solvere nequeat. Ægrè tamen permittit eam proscribi, propter imbecillitatem sexus & verecundiam, & quod difficulter se in peregrinis locis sustentare possit, ut ex toto cap. 29. liquet.*

XX*XVII.* C*AP.*

De violatione pacis in agro vel prato tempore veris & messis.

Si quis ingrediatur alterius agrum circa vernum tempus, vel pratum & agrum circa brumale tempus, & occidat; dupli pœnam & ipse author & omnis ejus familia meretur, & impune quod aggressores accipiunt. Eadem lex erit, si quis alium expellat suis possessionibus in alias, & ibi manus ei inferat.

c. 17. Sár. m. wil. LL.

XXXVIII.

XXXVIII. CAP.

Si quis inſons puniatur, decolletur aut ſuſpendatur.

Si quis in ſuo corpore inſons perdatur, decolletur, ſuſpendatur, vel rotæ ſupplicio afficiatur; author hujus rei, idem in ſe ſtatui patietur, quod alteri fecit.

Synops. jur. Diss. 29. Qu. 31.

XXXIX. *CAP.*

Si quis alium caſtret, eruat ei oculos vel dentes, præcidat aures, linguam vel naſum, quomodo hoc cognoſci & dijudicari debeat.

Si quis comprehendat alium & humi per vim deponat, & caſtret ut pecus, eruat oculos vel dentes ex ejus capite, vel præcidat linguam, nares vel aures, abſcindat manum vel pedem, vel ambos ei; qui hoc facit, & omnes cum eo, violarunt juramentum regium. Et quicunque in ea re eſt actor, ſive ſit ille qui paſſus eſt vulnus, ſive hæredes ejus, illorum erunt publicata rei bona & mulctæ pro vulneratione, & interceſſio pro reſtitutione à banno, in quacunque domo talis violentia facta ſit. Si deprehendatur in recenti facinore, actor & ejus propinqui plenam poteſtatem habebunt deducendi eum in judicium, & teſtes audiendi. Deinde actor poteſtatem habebit eum ad redemptionem admittendi, ſi velit, vel membrum pro membro (*p*), quali caruit, reo adimendi, vel vitam ipſi auferendi; & impunis pro ſuo facto erit. 1. §. Si hoc in digladiatione eorum accidat, nec ex dictâ violentiâ, non violatum eſt juramentum regium, ſed mulctæ de vulneratione locus eſt. Si quis inſimuletur hujus facinoris, nec in eo deprehenſus ſit, Nemda judicii territorialis tres ex qualibet tetrade poſſeſſionatos iſtius territorii, in quo facinus perpetratum eſt, eliget, qui eum abſolvent vel damnabunt. Si damnent eum, damnatus ſit; ſi abſolvant, inſons ſit.

(*p*) *Quid de pœna talionis hodiè ſentiendum ſit, vid. in Synopſi Jur. d. Diss. 29. Qu. 31.*

XL. CAP.

Quisquis vi rapit ad dimidium marcæ, capite plectetur.

Quisquis ab alio plenâ vi in mobilibus, quodcunque sit, rapit ad dimidiæ marcæ pretium vel plus eo, & deprehenditur in ipso actu, in judicium ducetur, & testibus in judicio rapinæ convictus capite plectetur *(q)*. Si absolvatur, impunis sit, & ille mulctetur XL. marcis, qui vi illum abstrahebat in judicium. Si insimuletur hujus facinoris, nec in ipso facto deprehensus sit, stet illud cognitione Nemdæ territorialis. Si absolvant eum, sit absolutus: si damnent, mulctetur XL. marcis. *(nimirum vi eum abducens.)*

(q) *Vid. in Synops. jur. Differt. 25. Qu. 2.*

XLI. CAP.

Si quis minus dimidio marcæ rapiat.

Si quis rapiat ad tres oras vel plus, & minus dimidiâ marcâ, si ejus facinoris incusetur plenis documentis, vel insimuletur, nec purgare se possit cum sex possessionatis viris, mulctetur XL. marcis. I. §. Si rapiat ad duas oras, vel plus, & minus tribus oris, mulctetur sex marcis, vel purget se cum sex viris. Si rapiat ad unam oram, vel plus, & minus duabus oris, mulctetur tribus marcis, vel cum tribus se purget. Si minus unâ orâ rapiat, mulctetur sex oris, vel se cum uno viro purget. In omnibus hisce rapinæ factis mulctetur, ut dictum est, tripartitò, & actori quod raptum est restituatur.

Vid. d. Differt. 25. Qu. 2.

XLII. CAP.

De prædonibus & piratis.

Si quis in silva vel navi latitet, vel alibi, ad prædandum, sive minus sive plus prædetur, & hoc manifestetur; quilibet eum, & omnes qui in cætu & comitatu cum eo sint, impunè apprehendere potest, & in judicium perducere. Ibi duodecim ex territorio nominabuntur, qui hoc facinus cognoscere debent. Si facinus manifestum deprehendatur, præses judicii territorialis omnes capitis damnabit qui una in cætu & comitatu erant. Si facinus non sit manifestum, sed insimulentur ejus, vel in manifestam famam ejus perveniant, illi duodecim hoc cognoscent. Si damnent eos, singuli XL. marcis tripartiendis mulctabuntur: qui non est solvendo, luat capite. Si purgentur, impunes sint tam capti, quàm capientes eos. I. §. Si comperiatur etiam illos aliquem interfecisse terrâ vel mari in hoc casu, ad rotæ supplicium damnentur. Quicunque

cunque tales hospitio recipit sciens [r] volensque, pro eodem habeatur, pro quibus ipsi. Hujusmodi homines prædones & piratæ vocantur.

(r) *Qui sciens & volens eos recipit & fovet, præsumitur consentire in eorum facinus. De piratis, eorumq; pœnâ in lib. 11. de Iure maritimo cap. III. actum est.*

XLIII. CAP.

Si quis fruges in alterius hortis clausis vi rapiat, & possessori damnum inferat.

Si quis ingrediatur alterius clausos hortos, vi rapiat poma vel alios fructus, paterfamilias autem vel ejus familia ipsi obsistant, & inde oriatur lucta, in qua possessor vel ejus familia necem, vulnus aut percussionem cruentam accipiat, violatum est juramentum regium. Si qui furtim advenit, accipiat necem, vulnus vel percussionem cruentam, impune fit.

Vim vi repellere, omnes leges permittunt.

XLIV. CAP.

Si quis jubeat aut conducat alium ad malefacta perpetrandum.

Si quis jubeat alium vel conducat ad percutiendum, interficiendum, vel facinora in alium committenda, eandem pœnam subibit, atque si ipse fecisset.

Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur. Vid. Synops. jur. Dissert. 18. Qu. 2. ubi hoc fusè discutitur.

TITULUS IX.

DE GRAVIORIBUS CRIMINIBUS.

1. *Si quis per latrocinium occidat alium, quomodo hoc cognosci & judicari debeat.*
2. *Si pater aut mater occidat liberos, vel liberi parentes.*
3. *Si possit hoc casu fieri.*
4. *Si qui homines sibi ipsis mortem consciscant.*
5. *Si quis aliam uxorem sibi desponsatam usurpet, dum prior ejus legitima uxor adhuc vivit. Et si quis sibi curet desponderi aliam, nec eam usurpet.*
6. *Si quis alium arte malefica vel magicâ conficiat.*

7. *Si quis conficiat privignos suos hæreditatis causa.*
8. *Si quis ducat exercitum contra Regem, vel regionis dominum, vel insidias aut vim ipsi faciat.*
9. *Si quis ducat exercitum extraneum adversus patriam suam, vel inversum aut hostile scutum gestet contra verum dominum suum.*
10. *Si colonus, villicus, molitor, minister fidem debens, vel uxor occidat verum suum dominum aut patremfamilias.*
11. *Si quis incendium voluntarium intentet alterius domui.*
12. *Quomodo se defendere debeat insimulatus hujus facinoris.*
13. *Si quis minetur alteri, & qui minas audivit, accipiat postea damnum, & nesciat à quo.*
14. *De eo qui coitum habet cum pecore aut aliis animalibus.*
15. *Si quis arte malefica aut venefica conficiat alium, quomodo hoc cognoscendum sit.*
16. *Delicta pro quibus non mulcta, sed gravior pœna solvenda est.*

I. CAP.

Si quis per latrocinium occidat alium, quomodo hoc cognosci ac judicari debeat.

SI vir virum aut mulier occidat, vel quicunque interficiat alium & occultet atque in abscondito operiat; vir ad rotæ supplicium, & mulier ad ignem damnabitur. Territorii verò, ubi hoc facinus commissum est, Nemda cognoscet & contestabitur hunc vel hanc sontem aut insontem, & præses judicii territorialis præibit juramentum, & singuli jurabunt, prout ipsis prælegitur. Sic de omni latrocinio agetur & facinore capitali.

II. CAP.

Si pater aut mater occidat liberos, vel liberi parentes.

Si vir aut mulier ex proposito occidat infantem suum non baptizatum vel baptizatum, vel liberi patrem aut matrem suam, aut maritus uxorem suam, aut uxor maritum suum; vir ad rotæ supplicium, & fœmina ad ignem damnabitur, si omnibus manifestum sit. Quicunque hujus criminis insimulatur, nec in aperto est, purgabit se cum

ſe cum territorii Nemda,ut ante dictum eſt.Si defendi poſſit, inſons ſit : ſi damnetur, vir rotæ,mulier ignis ſupplicio afficietur. Et quicunque illorum obtruncabat vel occidebat alium, carebit hæreditate occiſi, & ſic omnes ejus conſanguinei : nemo enim alium lucri hæreditarii cauſa occidere debet.

III. *CAP.*

Si poſſit hoc caſu fieri.

Si hoc caſu fortuito acciderit,mulctetur reus, ut in titulo de Homicidio determinatur, Regi, actori & territorio, nimirum dupli mulcta †, nec vita aut hæreditas ei adimatur pro tali homicidio caſuali. Nemda territorialis cognoſcet,num hoc ex propoſito vel caſu factum ſit.

† LXXX. *marcis, ut eſt in c. 38. de homicid. voluntario LL. prov.*

IV. *CAP.*

Si qui homines ſibi ipſis mortem conſciſcant.

Si tam malè eveniat, ut quidam homines ſibi ipſis mortem conſciſcant, quomodocunque hoc accidere poſſit; tunc ille ad ſilvam deducetur,& extructo rogo * comburetur. niſi conſtet, illum tam amentem factum eſſe, ut neſciat quid faciat : tunc humi defodietur in cæmiterio. Et quando tale damnum contingit, præſes judicii territorialis ſtatim per baculum denunciatorium judicium convocabit. Nemda territorialis iſtum caſum cognoſcet, & præſes judicii de eo ſententiam feret. Defuncti bona capient hæredes.

* *Vid. Synops. jur. Diss. 29. Qu. 37.*

V. CAP.

Si quis aliam uxorem ſibi deſponſatam uſurpet, dum prior ejus legitima uxor adhuc vivit. Et ſi quis curet ſibi deſponderi aliam, nec eam uſurpet.

Si maritus deſerat uxorem ſuam legitimam, & curet ſibi ſolenniter deſponſari aliam,eamque uſurpet dum altera adhuc vivit, quam

quam legitimè uxorem duxit; si ejus facinoris jure & testibus convincatur, capite plectetur tam mulier, quàm ille vir decollabitur, & mulier viva humi defodietur 1. §. Si quis etiam sponsalia cum alia muliere contrahat, dum prior legitima uxor adhuc vivit, etiamsi posteriorem non usurpet, mulctetur XL marcis in quatuor partes dividendis, actori, Regi, Episcopo & territorio. Stet illud cognitione Nemdæ, num eam usurparit, vel minus. Eadem lex erit, si uxor alteri viro nubat.

VI. CAP.

Si quis alium arte malefica vel magica conficiat.

Si conficiat vir virum, fœmina fœminam aut virum per magiam aut incantationem, ita ut ille vel illa inde morte * afficiatur; author vita privetur pro tali facinore, vir rota, fœmina incendio plectatur: & hoc cognoscatur per territorialem Nemdam, ut ante dictum est.

* *Vid. Synops. jur. Diss. 29 Qu. 23.*

VII. CAP.

Si quis conficiat privignos suos hæreditatis causa.

Si conficiat vir aut fœmina privignos suos ex proposito vel contemtu, & velit eorum hæreditatem sibi vendicare; eadem lex sit de eorum vita, & de eorum hæreditate agatur, quod codex Legum in tit. de Hæreditate dicit. c. 12. ꝒꝒ.

VIII. CAP.

Si quis ducat exercitum contra Regem vel regionis dominum, vel insidias aut vim ei faciat.

Quicunque ducit exercitum adversus Regem vel regni dominum, vel insidias struit animo eum capiendi, vel occidendi, vel aliquam vim aut injuriam ei facit literis, consiliis, factis vel auxilio (*a*); ille bonis immobilibus ac mobilibus vitaque privabitur, si in manifesto facinore deprehendatur. 1. §. Si ejus facinoris insimuletur, nec manifestus teneatur, tunc stet illud cognitione

tione Nemdæ Regiæ, & ſinguli jurent, prout ipſis prælegitur juramentum. Si condemnent ipſum, confiſcentur omnia ejus bona: ſi abſolvant eum, impunis ſit.

(*a*) *Perduellionis crimen quatuor modis fit. l. 10. ad l. Jul. majeſt.*

IX. *CAP.*

Si quis ducat exercitum extraneum adverſus patriam ſuam, vel inverſum aut hoſtile ſcutum geſtet contra verum ſuum Dominum.

Si vir ducat adverſus patriam ſuam peregrinum exercitum, & geſtet inverſum ſcutum vel hoſtilia arma contra verum ſuum Dominum, & populetur propriam ſuam patriam; niſi ſequatur eum qui legitimè pervenit ad regnum; tunc ille, & omnes qui cum eo erant, perdiderunt vitam & bona, Coronæ in perpetuam proprietatem addicenda. Si quis inſimuletur hujus criminis, nec manifeſtum ſit, Regia Nemda illum vel abſolvet vel condemnabit. Si abſolvatur, impunis ſit; ſi condemnetur, capite & bonorum publicatione plectatur.

X. CAP.

Si colonus, villicus, molitor, miniſter fidem debens, vel uxor occidat verum ſuum dominum aut patremfamilias.

Si colonus, diſpenſator, molitor, miniſter fide obligatus, vel cujuscunque horum uxor occidat verum ſuum dominum aut patremfamilias, vel ejus uxorem, & deprehendatur ille vel illa in eodem actu; tunc ille vel illa in judicium ducetur, & vir rotæ, mulier ignis pœnâ plectetur. Immobilia & mobilia eorum in tres partes dividentur; unam partem Rex, alteram actor, tertiam territorium, in quo facinus perpetratum eſt, capiet; ita tamen, ut agrarium, decimæ, debitum, pecunia in ſocietatem collata, & bona pupillaria inde ſeparentur. 1. §. Quicunque hujus facinoris inſimulatur, vir aut fœmina, nec in manifeſto deprehenſus eſt, purget ſe Nemdâ loci vel territorii, in quo facinus factum eſt, & præſes judicii territorialis prælegat juramentum, & ſinguli illud præſtent per Deum & ſacra, quod nec ipſe, nec ejus uxor occidebat verum ſuum

patremfamilias, ideoque non meretur vita vel bonis privari. Si defendi possit, impunis sit; si condemnetur, confiscentur omnia ante dicta. 2. §. Si occisor dicat hoc casu accidisse, non voluntate ejus; veris hæredibus dupli mulctam solvet, nec capite plectetur, & Regi ac territorio legitimam mulctam pendet, ut in tit. de Homicidio determinatur, nec plus præstabit. Nemda territorialis cognoscet, ut prius dictum est, num ex proposito vel casu factum sit.

XI. CAP.

Si quis incendium voluntarium intentet alterius domui.

Si quis ignem immittat alterius domui, & comburere velit ædes & incolam, & incendat domum unam aut plures vel totum pagum, & deprehendatur cum sufflante ore & titione ardente; is vinciri & in judicium duci potest. Postea XII. viri ex territorio cognoscere & verum indagare in illo crimine tenentur: Si absolvant eum, ille mulctetur XL. marcis, qui insontem vinciebat & constringebat, nec insons in bannum aut confiscationem damnetur. Si verò jure condemnent eum, mulctetur omnibus suis bonis: unam partem capiat Rex, alteram actor & tertiam territorium, & prius agricolæ resarciat omne damnum ab ipso probandum. Si non plus reperiatur, agricolæ prius plenè satisfiet, & ille in pyra exstructa comburetur, qui author incendii voluntarii fuit.

XII. CAP.

Quomodo se defendere debeat insimulatus hujus facinoris.

Quicunque hujus criminis insimulatur, vir aut fœmina, nec in ipso actu deprehenditur, purget se merâ Nemdâ istius territorii, in quo crimen commissum est, & impunis sit. Si reus pronuncietur, refundat omne damnum quod alter accepit, & mulctetur XL. marcis tripartiendis. Si non possit solvere mulctam, & resarcire damnum intra proximos sex menses, postquam damnatus est; obnoxius vel debendi reus erit omnibus, sive vir sit sive fœmina, donec satisfecerit.

XIII. CAP.

XIII. CAP.

Si quis minetur alteri, & qui minas audivit, accipiat postea damnum, & nesciat à quo.

Si quis interminetur patrifamilias aut bonis ejus, & ei postea damnum accidat ex incendio, homicidio, latrocinio, vel aliis pravis facinoribus, nec constet, à quo damnum factum sit; paterfamilias facultatem habebit illum impunè coram judicio culpandi, à quo minæ proficiscebantur: stet illud cognitione Nemdæ territorialis. Si absolvant illum, absolutus sit: si damnent eum, eadem hìc lex sit, de qua ante dictum est. Malè enim ei creditur, qui alteri malum minatur *(b)*.

(b) *Præsertim ab eo profectum, qui vel solet vel potest minas ex occasione ad effectum perducere. Vid. Synops. jur. Diss. 29. Qu. 27.*

XIV. CAP.

De eo qui coitum habet cum pecore aut aliis animalibus.

Quicunque viro tale diabolicum facinus accidit, ut coitum habeat cum pecore, vel aliis brutis animalibus, & in recenti facto deprehendatur, vel idoneis testibus & Nemda convincatur; præses judicii territorialis damnabit eum cum eadem bestia vivum in terram defodi vel comburi: Non in terra remanebunt. Si insimuletur hujus facinoris suspectus, nec in ipso actu deprehensus sit, stet cognitione Nemdæ territorialis, ut alia atrocia crimina. Si absolvant eum, sit absolutus: si damnent eum, in vincula conijcietur, & ab Episcopo disciplinæ Ecclesiasticæ subijcietur, & vitam retinebit (c).

(c) *In dubiis & incertis ad benigniorem partem inclinandum est.*

XV. CAP.

Si quis arte malefica aut venefica conficiat alium, quomodo hoc cognoscendum sit.

Si mulier aut vir arte malefica aut venefica utatur; ille vel illa compedibus constringetur & ita in judicium deducetur, & opera malefica cum illis. XII. viri testabuntur, num illa malefi-

cia commiserint, vel non. Si absolvant eos, absoluti sint: si damnent, mulctentur XL. marcis tripartiendis, Regi, actori, territorio. 1. §. Si quis inde mortem passus sit, & accusatio de eo instituatur, & XII. viri testentur: si absolvant eum, sit absolutus: si damnent, illa ad rogi, ille ad rotæ supplicium ducetur, & reorum mobilia publicabuntur, immobilia verò capient hæredes. Si quis insimuletur, nec territorii Nemda se defendere possit, mulctetur, ut in titulo de Homicidio determinatur.

XVI. CAP.

Delicta pro quibus non mulcta, sed gravior pœna solvenda est.

Hæc delicta hactenus enumerata, sunt talia, pro quibus non mulcta, sed vita & bona panduntur. Insimulatus eorum, nec deprehensus in illis, purget se, ut antea dictum est. Sed æs alienum ejus solvetur ex indiviso, nec aliorum, sed propriam pecuniam (d) pœnæ vel mulctæ loco perdet.

(d) *Ibi sit mulcta, ubi est culpa.*

TITULUS X.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO.

1. *SI dissensio inter viros oriatur, & alter alterum occidat.*
2. *Si occisor in recenti crimine deprehendatur intra diem naturalem.*
3. *Si actor occidat occisorem, nondum re in judicio cognitâ, intra diem naturalem aut civilem.*
4. *Si occisor interficiatur, dũ se defendere conatur, & aliquis eum impedire vult.*
5. *Si interficiatur extra sui defensionem.*
6. *Si homicida confugiat in templum vel cænobium, quomodo tunc agendum sit.*
7. *Si homicida ad judicialiter respondendum venire nolit.*
8. *Si homicida proscriptus excedere regno nolit, quomodo tunc sit cõprehendẽdus.*
9. *Si quis homicidam defendere velit, & eo ipso damnum fiat.*
10. *Si quis rapiat homicidam ab illis qui eum in manibus suis habent.*
11. *Non accipietur redemptionis pretium pro homicida legitimè capto.*
12. *De homicidæ salvi conductus, vel accessus ad Regem: & discessus ab eo die. Et Rex cognosci curet, num ex, vel absque necessitate hominem occiderit, & exinde mulctetur.*

13. *Quando*

13. *Quando homicida mulctam solvit actori, & hic intercedit pro illo, Rex ei dare debet literas restitutionis ab exsilio.*
14. *De Regis jure & territorii jure, diei citationis & restitutionis in integrum literis in homicidio; atq; si homicida occidatur, postquam dies proscriptionis ejus finiti sunt.*
15. *De scelestis & immanibus facinoribus, & pœna eorum.*
16. *Si extraneus occidat indigenam, & aufugiat.*
17. *Quicunque receptat aut nutrit homicidam proscriptum.*
18. *Si homicida captus inficietur homicidium.*
19. *Si homicidii insimulatus se purget.*
20. *Si homicida veniat in judicium ad respondendum, quomodo Nemda territorialis cognoscere debeat ejus facinus: Et actor probet verum esse homicidam, & cooperantem, quem vult esse talem.*
21. *De cooperantis mulcta.*
22. *Si homicida moriatur ante stipulatas mulctas, quomodo tunc mulctæ debeant præstari.*
23. *Quomodo mulctæ sint solvendæ post defunctum patrem aut matrem, vel consanguineos.*
24. *Quomodo actor alium homicidii convincere debeat intra annum & noctem:*
25. *Si verò nemo argui & convinci possit homicidii intra noctem & annum, territorium mulctabitur* XL. *marcis.*
26. *Quomodo occultum homicidium & latrocinium mulctari debeat.*
27. *De homicidio in insulis & faucibus maris, ubi non reperitur homicida.*
28. *Si fœmina occidat virum, & capiatur.*
29. *Quomodo fœmina homicidii convinci debeat, si non capiatur; & quod proscribi possit.*
30. *Quomodo homicida captus carceri includi & in judicium deduci debeat.*
31. *Si Sacerdos aut alius Clericus occidat Laicum.*
32. *Si Laicus occidat Clericum.*
33. *Si quis occidatur, & actor non sit in regno tempore actionis vel accusationis.*
34. *Quomodo probandum sit, pro homicidio litem esse compositam, & mulctam solutam. Et si quis confiteatur facinus capitale.*
35. *Si soluta persona occidat quenquam.*
36. *Si soluta aut vaga persona abscindat alicui membrum aut plenum vulnus infligat, nec mulctam solvere possit.*
37. *Si soluta persona graviter alicui percutiat tibias, nec possideat tres marcas.*
38. *Si quis insidias faciat alteri in latebris; & quæ insidiæ dicendæ sint.*
39. *Si quis occidatur in Regis expeditione.*

I. CAP.

Si dissensio inter viros oriatur, & alter alterum occidat.

SI rixa inter viros oriatur, & alter alterum mutua nece interficiat, vir viro (e) compensabitur, & utriusque hæredes pendent mulctam Regi debitam, octo trientes & tredecim marcas, & similiter territorio.

(e) Vid. Synops. jur. Diss. 29: Qu. 13.

II. CAP.

Si occisor in recenti crimine deprehendatur intra diem naturalem.

Si quis occidat alium, & in recenti facinore prope funus aut in fuga deprehendatur, & eodem die quo facinus committebat; vitam pro vita reddat, & nullibi securitate, nisi in templo vel cœnobio (f), fruatur, si constet, ipsum homicidium ex proposito, & absque omni ac necessaria corporis sui defensione commisisse. Et hoc stet cognitione Nemdæ territorii in quo facinus perpetrabatur, antequam vita homicidæ adimatur.

(f) Sed, Vid. Synops. jur. Diss. 30. qu. 23.

III. CAP.

Si actor occidat occisorem, nondum re in judicio cognita, intra diem naturalem aut civilem.

Si illius viri, qui occisus erat, proximus hæres adveniat intra diem naturalem, & occidat homicidam subito iracundiæ calore (g) extra sententiam; mulctetur, & pœnitentiam subeat, ut alii homicidæ, nec proscribatur, nec capite plectatur, sed pendat Regi mulctam octo orarum & tredecim marcarum, & similiter territorio.

(g) Synops. jur. Diss. 29. qu. 20.

IV. CAP.

Si occisor interficiatur, dum se defendere conatur, & aliquis eum impedire vult.

Si

Si ita usuvenire possit, ut proximus occisi hæres vel alius impedire (fortè à fuga) velit homicidam propter Deum, vel domini jussum, vel domini præfecti mandatum, & homicida occidatur dum se defendere conatur; tunc cognoscetur factum tam mortui, quàm vivi, & judicabitur secundum qualitatem delicti, & impunè erit (*b*), nec mulcta pro eo solvetur Regi, actori vel territorio.

(*b*) *Defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur.*

V. CAP.

Si interficiatur extra sui defensionem.

Si vir interficiatur alio modo, extra sui defensionem; pro ipso pleno jure mulctetur Regi, actori & territorio. & hoc stabit cognitione Nemdæ territorialis.

VI. CAP.

Si homicida confugiat in templum vel cænobium, quomodo tunc agendum sit.

Si homicida refugium petat in ædem sacram aut cœnobium, vel in alium locum, nec eodem die capiatur; præses judicii territorialis statim baculo denunciatorio indicet judicium, & author necis tutò accedet ad respondendum, & tuto recedet. Si fateatur crimen, aut legitimè ejus convincatur, menstruum spatium habebit sistendi se coram Rege, & duas hebdomadas discedendi à Rege, nec diutius nisi Regis gratia & literis salvi conductus fruatur. Quicunque lædit ipsum, dum publica fide fruitur, violavit juramentum regium.

VII. CAP.

Si homicida ad judicialiter respondendum venire nolit.

Si homicida comparere nolit in eodem judicio ad respondendum; actor habebit eandem potestatem convincendi eum homicidii, atque si comparuisset ad respondendum: nec ullum tempus, aut asylum habebit, nisi in templo aut cœnobio [*i*].

(*i*) *Non hodiè. vid. sup. c. 2. h. t.*

VIII. CAP.

Si homicida proscriptus excedere re-

gno

gno nolit, quomodo tunc sit comprehendendus.

Si deportatus remaneat, nec excedere regno velit, & actor non valeat eum capere; significabit hoc præsidi judicii territorialis & Regis prætori: hi unà cum actore illum capi curabunt.

IX. CAP.

Si quis homicidam defendere velit, & eo ipso damnum fiat.

Si nonnulli viri homicidam defensum eant contra comprehensuros eum, sive domi suæ, sive alibi; pœna dupli erit, quidquid faciunt, qui eum defendere volunt (k), & omne impune quidquid patiuntur, sive sit homicidium, sive vulnus.

(k) *Quia defensio speciem alicujus consensus habet.*

X. CAP.

Si quis rapiat homicidam ab illis qui eum in manibus suis habent.

Si quis abripiat homicidam illis qui eum in manibus suis habent, author hujus facinoris violavit juramentum regium (l).

(l) *Præjudicando Regiæ jurisdictioni.*

XI. CAP.

Non accipietur redemptionis pretium pro homicidâ legitimè capto.

Ubicunque homicida legitimè capitur, & aliquis pretium redemptionis pro eo accipit [m]; reddat Regi illud pretium, & insuper XL. marcas, sive sit accusator, sive Lensmannus, sive quicunque alius vir.

(m) *Prohibitum jure divino: Num 35: 31.*

XII. CAP.

De homicidæ salvi conductus vel accessus ad Regem, & discessus ab eo, die. Et Rex cognosci curet, num ex, vel absque necessitate hominem occiderit, & exinde mulctetur.

Si

Si homicida coram Rege compareat, vel coram illis qui Regium judicium exercent in Suecia, ad factum suum demonstrandum, certum tempus ad accedendum & recedendum habebit, ut antea dictum est. Rex ei fidei publicæ literas dabit in eodem territorio, in quo facinus commissum est, & in iisdem literis nominabuntur illi qui regio nomine aderunt, ad facinus illud legitimè cognoscendum, & cum illis præses & Nemda judicii territorialis. Si comperiatur illum hoc facinus admisisse ex necessitate & defendendi corporis sui causa; prænominati adjudicabunt actori mulctas (n), quas coram Deo & Rege suo æquas in conscientia sua censebunt. Considerabunt etiam mortui culpam, & quibus causis urgebat homicidam se occidere, & homicida sit immunis à mulcta Regi & territorio præstanda. 1. §. Si prænominati plenis documentis cognoscant, quod homicidium illud absque necessitate commiserit, non adjudicabunt actori mulctas, sed homicida exsilio punietur, nec unquam ab exsilio restituetur, nisi se obtulerit ad satisfactionem sufficientem actori præstandam.

(n) *Synops. jur. Diss. 29. qu. 15.*

XIII. CAP.

Quando homicida mulctam solvit actori, & hic intercedit pro illo, Rex ei dare debet literas restitutionis in integrum.

Jam solvit mulctã actori, & actor pro eo intercedit, tũc Rex debet ei literas restitutionis ab exsilio dare, vel Regis præfectus, qui talem potestatem à Rege habet, & deinde restitutus solvat Regi octo oras & tredecim marcas, & territorio similiter. nisi necessitas probari possit, ut prius dictum est.

XIV. CAP.

De Regis jure & territorii jure, diei citationis & restitutionis in integrum literis in homicidio, atque si homicida occidatur, postquam dies proscriptionis ejus finiti sunt.

Mulcta Regi & territorio jure debita non major erit, quàm octo orarum & tredecim marcarum. 1.§ Citationis ad certum terminum literæ redimentur à Regis Cancellario pro dimidia marca. Hæ literæ Sueticè ſcribentur, & omnes aliæ judicium concernentes. 2.§. Si non accipiat reſtitutionem à Rege, vel mulctam pendere nolit, vel aufugiat, & occidatur poſt dies proſcriptionis ejus, hoc impunè ſit. Bona ejus non confiſcabuntur, ſive mobilia, ſive alia: nec mulctam ſolvet Regi vel territorio, niſi ſcelerata & alia illicita facinora commiſerit.

XV. *CAP.*

De ſceleſtis & immanibus facinoribus, & pœna eorum.

Hæc ſunt ſceleſta & immania facinora *(o)*. Si quis occidat patrem vel matrem, filium aut filiam, fratrem aut ſororem, vel impuberem, minorem ſeptem annis; niſi caſu quodam fiat. Vel ſi quis interficiat dormientem, aut in freto natantem, vel cædat & percutiat aliquem inſtar mancipii, ita ut inde necem accipiat. Qui hujuſmodi facinora committit, quæ nunc enumerata ſunt, iiſdem pœnis obnoxius ſit, quæ determinatæ ſunt in titulo de Violatione juramenti regii, & in tit. de Gravioribus Criminibus, ſi comprehendatur. Si non comprehenſus ſit, proſcribatur ex regno, ut antea dictum eſt, & eò minori gratia fruatur, quò minori dignus eſt.

(o) *Vid. Lexic. jur. in* Nidingswerk.

XVI. *CAP.*

Si extraneus occidat indigenam & aufugiat.

Si extraneus interficiat aliquem, de eo ſic fiat, atque ſi indigena feciſſet, niſi aufugiat ex regno. Si excedat regno, ſolvatur æs alienum & mulcta ejus ex bonis ejus, actori, Regi & territorio, ſi ita ſufficiant. Si non ſufficiant plenæ debiti ſolutioni & mulctæ, deficiat pro Rege & territorio, & actor capiat jus ſuum. Si etiam bona extranei ſuperent æs alienum & mulctam; ad annum & diem intacta relinquantur, & de illis poſtea fiat, quod Lex determinat de aliis extranei bonis.

XVII. CAP.

Quicunque receptat aut nutrit homicidam proſcriptum.

Qui-

Quicunque deportatum aut proscriptum hospitio recipit, ita ut cibet eum unis epulis, vel ad unam noctem ei domum commodet, postquam proscriptus est, & terminus ejus exspiravit; mulctetur tribus marcis, vel purget se sex virorum juramento, quod nesciret ipsum esse proscriptum. Si quis eum receptet vel nutriat diutius quàm modò dictum est, mulctetur XL. marcis tripartiendis, & hoc stet cognitione Nemdæ territorialis, num verum sit: mulctetur etiam toties XL. marcis, quoties legitimè convincitur, quod diutius eum foverit vel aluerit.

XVIII. CAP.

Si homicida captus inficietur homicidium.

Si quis capiatur homicidii causa, intra diem naturalem, postquam homicidium factum erat, & deducatur in judicium convincendi eum homicidii causa, ille verò inficietur se hoc commisisse; tunc præses judicii territorialis XII. viros nominabit ex territorio, quos utrimque approbent, illi investigabunt veritatem rei, prout coram Deo & Rege suò excusari volunt, num in loco cædis fuerit, ea voluntate ac proposito ut occideretur, vel non. Si condemnent ipsum, hæredes occisi potestatem habebunt eum homicidii convincendi, & pœnam exsequendi, ut dictum est, nec mulctas pro eo capiendi.

XIX. CAP.

Si homicidii insimulatus se purget.

Si purgetur insimulatus homicidii, sit insons, & ille mulctetur XL. marcis, qui insontem vi abducebat. Si etiam vulneratus aut percussus sit, mulctetur ut determinatur in titulo de Vulneratione. Si etiam ceperint eum domi suæ vel alterius viri; violarunt regium juramentum.

XX. *CAP.*

Si homicida veniat in judicium ad respondendum, quomodo Nemda territorialis cognoscere debeat ejus faci-

nus. Et actor probet verum esse homicidam & cooperantem, quem vult esse talem.

Si quis non captus ad respondendum in judicium venerit, & dixerit se in loco cædis fuisse, sed non animo & causa occidendi mortuum, vel negaverit se ibi fuisse; Nemda vel judicium territoriale utrimque approbata cognoscet, num in loco cædis fuerit, proposito & voluntate occidendi interfectum, vel non. Et quos judicium exemerit, quod non fuerint in loco pugnæ aut cædis, vel ibi fuerint, sed non animo aut proposito necandi quenquam, illi sint insontes. Et postea potestatem habeat, qui suo caruit, convincendi illum veri homicidii, quem vult putatque esse reum, & detentionis vel cooperationis ad homicidium, quem vult, si cum XII. virorum ex illis qui in loco cædis fuerunt, nec exemti sunt à Nemda, juramento se in judicio purgare non possint. Si verò quis convincatur homicidii, diem accessus ad Regem & recessus habeat, ut ante dictum est.

XXI. CAP.

De cooperantis mulctâ.

Cooperantis mulcta est novem marcarum. Si quis culpetur consilii ad homicidii causam; purget se cum duodecim sacramentalibus, vel mulctetur sex marcis, quæ soli actori addicentur.

XXII. CAP.

Si homicida moriatur ante stipulatas mulctas, quomodo tunc mulctæ debeant præstari.

Si moriatur homicida ante mulctarum stipulationem; mulctentur hæredes ejus ex bonis ipsius XL. marcis tripartiendis. Si inficientur homicidium, stet illud cognitione Nemdæ territorialis. Si absolvant eum, sit absolutus: si condemnent eum, mulctetur, ut ante dictum est. Si mulctæ promissæ sint, hæredes ejus actori promissum præstent, & Regi atque territorio legitimas mulctas,

ctas, ut ante dictum est. 1. §. Si moriatur ante proscriptionis dies, & antequam restituatur in integrum, vel actori mulctæ stipulatæ sint; hæredes ejus ex bonis ejus mulctam solvant actori octo trientes & tredecim marcas, & liberi sint pro Rege & territorio, ita ut eis mulctas non pendant.

XXIII. *CAP.*

Quomodo mulctæ sint solvendæ post defunctum patrem aut matrem, vel consanguineos.

Omne quod loco mulctæ præstari debet pro delictis patris, matris aut aliorum consanguineorum, hoc præstandum est ex bonis delinquentis, sive res mobilis, sive soli sit. Si verò nec res soli, nec mobilis exstet; hæredes immunes sint pro Rege, actore & territorio. Non enim alterius factum aut delictum ab aliquo præstandum est, ubi nihil accepit, aut commisit. (p).

(p) c. ult. Högm. ß. c. 21. Edjör. ß.

XXIV. *CAP.*

Quomodo actor alium homicidii convincere debeat intra annum & noctem.

Ubicunque quis alium homicidii convincere debet, potestatē habeat à tempore homicidii perpetrati eum intra noctē & annum convincendi, sive citius, sive serius velit. Quod si negligat intra annum & diem, postea nullam facultatem habeat aliquem homicidii convincendi, nisi confessus sit reus, si talis adsit.

(q) Synop. jur. Diss. 19. Qu. 7. 8.

XXV. CAP.

Si verò nemo velit confiteri, nec convinci possit homicidii intra noctem & annum, territorium mulctabitur XL. marcis.

Si nemo confiteri velit homicidium, & nemo ejus legitimè convinci possit intra noctem & annum, ex quo homicidium factū erat; territorium cadit in mulctam XL. marcarum; nisi verum homicidam ostendat: Hoc occultatum homicidium dicitur. Ex illis XL. marcis Rex dimidium capit, & dimidium hæredes occisi, si in

regno sint. Si non in regno sint, nec literæ vel documenta adveniant à veris hæredibus, postquam occultum homicidium dijudicatum erat, ut ante dictum est; tunc dividuntur octo trientes & tredecim marcæ, ut in titulo de Hæreditate, de vacante hæreditate deciditur.

XXVI. CAP.

Quomodo occultum homicidium & latrocinium mulctari debeat.

Si territorium conveniatur de mulcta occultati latrocinii præstanda; Nemda territorialis re cognitâ attestabitur, quod defunctus ex morbo, nec manu violenta viri moreretur, vel quod verus hæres nominaret homicidam in judicio intra annum & noctem, vel quod quis confiteretur crimen intra noctem & annum, vel ut producant verum homicidam veris testibus. Si territorium nihil horum documentorum pro se habeat, ut modò dictum est, illud latrocinii occultati mulctam solvet, xl. marcas; Rex xx. marcas, & actor xx. marcas capiet, ut dictum est. Hæc mulcta pro numero capitum solvetur, si virilis sexus homo sit quindecim annorum, aut major natu. Omnes qui latrocinii occultati mulctam pendere tenentur, plenam mulctam solvere debent, si latrocinium commissum sit, & ab ea nullus immunis erit. Si quis etiam per latrocinium occidatur qui non solvit mulctam occultati latrocinii, velut mulier aut impubes quindecim annis minor; mulcta dimidio minor sit. Nemda territorialis numerabit personas, & quilibet enumeratus mulctam occultati latrocinii præstabit. Si quis negligat solvere, pendet tres oras. Si negligat tota domus, partem dictæ mulctæ solvat, & tres marcas.

XXVII. CAP.

De homicidio in insulis & faucibus maris, ubi non reperitur homicida.

Si quis interficiatur in insulis aut faucibus maris, & territorium reperiat homicidam intra noctem & annum, vel evidens ac manifestum sit, quod extraneus exercitus hoc fecerit; territorium à mulcta liberum sit. Si non ita sit, territorium solvat occultati homicidii mulctam xl. marcas, nec plus; etiamsi plura funera quàm unum, unâ vice reperiantur.

XXVIII.

XXVIII. *CAP.*

Si fœmina occidat virum & capiatur.

Si mulier occidat virum & in recenti facto capiatur, vel intra diem naturalem ;in judicium deducetur, & testibus convicta damnabitur, ut alius homicida. Actor verò potestatem habebit vel mulctas capiendi, vel eam capite plecti curandi. Si actor mulctas capiat pro ea, Regi etiam mulcta octo trientium & tredecim marcarum solvatur, & pari modo territorio.

XXIX. CAP.

Quomodo fœmina homicidii convinci debeat, si non capiatur, & quod proscribi possit.

Si mulier non capiatur intra diem naturalem, in judicio homicidii convinci debet, ut alius homicida, & solvet actori mulctam XL marcarum, Regi octo trientes & tredecim marcas, & territorio similiter. Non autem fœmina in bannum damnabitur, si hæc solvere possit. 1. §. Si non sit sufficienter solvendo; actor habeat potestatem vel minorem mulctam capiendi, vel vitam ejus; & proscribatur pro actore, Rege & territorio, ut alius homicida: nec mulctetur eam alens, vel cum ea consuetudinem habens; nisi eam defendat contra illam apprehensuros. Si illis resistat, eam defensurus dupli pœna plectatur, quidquid facit, & omne impunè, quicquid damni accipit, ut ante dictum est.

XXX. CAP.

Quomodo homicida captus carceri includi, & in judicium deduci debeat.

Ubi homicida legitimè comprehenditur, sive vir sive mulier sit, actor eum tradet manibus regii prætoris, qui eum compinget in Regis carcerem, & ibi custodiri curabit, donec judicium indicatur, & ei jus dicatur. Prætor eum in jus ducet, & judicio committet. Deinde actor eum accusabit & sententiam in eum ferri faciet. Et lictori vel carnifici una marca Suetica dabitur de territorii mulctis.

XXXI.

XXXI. CAP.

Si ſacerdos aut alius clericus occidat Laicum.

Si presbyter aut alius clericus interficiat laicum, Epiſcopus capit Regis jus, & occiſi hæredes actoris partem ex mulctis, & templum Dominicanum territorii jus (r).

(r) *Moribus noſtris clerici in civilibus & criminalibus cauſis poteſtati civili ſubjecti ſunt. Rom. 13. 1.*

XXXII. CAP.

Si laicus occidat clericum.

Si laicus occidat clericum, Rex ſuum capiat jus, & defuncti hæredes ſuam partem ex mulctis, & territorii jus eccleſia, ut ante dictum eſt.

XXXIII. CAP.

Si quis occidatur & actor non ſit in regno tempore actionis vel accuſationis.

Si laicus vel clericus interficiatur, & verus actor abſit & extra regnum, quando accuſatio inſtituitur, atque defendatur illud homicidium contra quemcunque accuſatorem, dum verus actor abeſt, & poſtea domum redeat atque mulctas exigat; defenſum hoc ſit pro eo, quod defendebatur pro primo vel contra primum actorem, & ſic contra omnes qui in poſterum de eo actionem vel accuſationem inſtituere poſſunt.

XXXIV. CAP.

Quomodo probandum ſit, litem pro homicidio eſſe compoſitam & mulctam ſolutam. Et ſi quis confiteatur facinus capitale.

Si quis probare velit litem de homicidio eſſe compoſitam & mulctam ſolutam, & actor exigat mulctam, Rex aut territorium, quicunque exigat, alter verò dicat, mulctas eſſe ſolutas; XII. viri teſtabuntur, ſolutas aut non ſolutas eſſe. 1. § Si quis veniat in judicium, & confiteatur crimen ſuum capitali pœna afficiendum; XII. viri teſtabuntur, num confeſſus ſit crimen, vel non.

Illos

Illos duodecim nominabit Lensmannus: & quodcunque ſit facinus quod aliquis confeſſus eſt, & capitis pœnæ obnoxium eſt, XII. viri jurabunt, quod confeſſus ſit, antequam ſententia in eũ feratur.

XXXV. *CAP.*

Si ſoluta perſona occidat quenquam.

Si ſoluta & vaga perſona occidat aliquem, capi debet ab actore, Regis Lensmanno & præſide judicii territorialis, ubicunque ſit, niſi in templo aut cæmiterio. Tunc in judicium deducetur & capitis damnabitur, nec locus erit diſciplinæ eccleſiaſticæ, aut mulctæ.

X*XXVI.* C*AP.*

Si ſoluta & vaga perſona abſcindat alicui membrum, aut plenum vulnus infligat, nec mulctam ſolvere poſſit.

Si ſoluta perſona abſcindat alicui membrum, aut plenum vulnus infligat, nec poſſit ſolvere plenam mulctam; capietur, ut dictum eſt. Si non adveniat intra menſem, qui legitimas mulctas pro eo offerat; in judicium ducatur & manus ei amputetur.

XXXVII. CAP.

Si ſoluta perſona graviter alicui percutiat tibias, nec poſſideat tres marcas.

Si ſoluta perſona poſſit alicui graviter percutere tibias, nec poſſideat tres marcas; capietur & detinebitur in carcere ad unum menſem: ſi interea nemo pro eo ſolvat mulctas, ducatur in judicium & culter transfigatur per manum ejus. Ille eſt ſoluta perſona, qui non habet fixum domicilium, nec plenam mulctam ſolvere poteſt.

XXXVIII. CAP.

Si quis inſidias faciat alteri in latebris; & quæ inſidiæ dicendæ ſint.

Si quis faciat inſidias aliis in domus latebris, ſilvæ latebris, portæ latebris, inſulæ latebris, vel ubicunque eſſe poſſit, & contra iter facientem ſtringat arma vel damnum ei inferat; inſidians verò

occidatur, impunè fit; nisi ejus mortem (*f*) ulciscatur, cujus est verus actor, vel observet legitimè bannitum: tunc legitima fit mulcta XL. marcarum tribus, actori, Regi & territorio solvendis. Ista mulcta non fit major: quilibet enim lege cum alio, non percussione utetur. Si occidatur adveniens, fit mulcta dupli, octoginta marcarum; nisi quis insidiantem ulciscatur, ut dictum est: tunc ultor XL. marcis & plenâ disciplinâ ecclesiasticâ plectatur. 1. §. Jam verò unus ait, insidias esse factas, alter negat; de eo testetur Nemda territorialis, quid verum sit. Insidiæ non possunt dici, nisi insidians stringat arma, vel damnum inferat obvio, ut in titulo de Violatione Juramenti regii deciditur.

(*f*) *Vid. Diss. 29. Qu. 16.*

XXXIX. CAP.

Si quis occidatur in Regis expeditione.

Si Rex edicat expeditionem militarem, & classis in procinctu sita sit, & scuta in puppi stent, & vir ibi occidatur; dupli pœna fit. In his casibus jam enumeratis, tam principalis homicida, quàm cooperans tenebuntur, ut ante dictum est in aliis homicidiis. 1. §. Ita dupli mulctæ dividentur, ut actor capiat XL. marcas, & postea XL. marcæ in tres partes dividantur: unam partem accipiat Rex, alteram actor, & tertiam territorium.

TITULUS XI.

DE HOMICIDIO CASUALI.

1. *Quid sit facinus voluntarium aut casuale. Et si quis stringat cultrum vel alia arma, & velit damnum inferre, nec possit.*
2. *Si duo vulnera lethifera ex uno ictu inferantur, quomodo hoc cognosci debeat cum Nemda & juramento: & ut Regis Lensmannus & actor adsint.*
3. *Si quis jaculetur aut ejiciat aliquid in alio, & homo interveniat.*
4. *Si quis necem patiatur ex tendiculis in silva, & de illis publicè denunciandis.*
5. *Si duo cædant arborem, vel volvant saxum, & duo inde moriantur, vel unus.*
6. *Si quis decidat in puteum aut pontem, & inde occidatur.*
7. *Si quis ascendat in arborem sponte sua, rogatus aut jussus, & inde decidens moriatur.*
8. *Si quis ex arbore cadens infra stantem lædat.*
9. *Si domus ruat in aliquem.*
10. *Si vehes ruat in obvium.*

11. Si

11. *Si impuber occidat alium deditâ operâ.*
12. *Si impuber occidat alium casu.*
13. *Quomodo impuber homicidii convinci debeat.*
14. *Si fœmina casu interficiatur, quæ prægnans esse dicitur.*
15. *Si amentes homicidium perpetrent vel aliud detrimentum; & quomodo hoc publicè judicari debeat, quod amentes sint.*
16. *Si pater aut mater filium aut filiam casu occidat.*
17. *Si pecus occidat hominem, vel fera, vel avis domi enutrita.*

I. CAP.

Quid sit facinus voluntarium aut casuale. Et si quis stringat cultrum vel alia arma, & velit damnum inferre, nec possit.

Quicunque gladium aut cultrum evaginat, arcum tendit, vel alia arma promit in alium, non urgente necessitate, cædit, pungit aut jaculatur in illum; & alius accipit ictum; si inde homicidium aut vulnus oriatur, nunquam locus hîc sit juramento aut mulctæ pro casu (*t*). 1. §. Si quis corpus suum necessariò defendere velit, vel capere velit bannitum, vel alium qui jure capi potest; cædit aut jaculatur in illum, vel quem defendere vult, & alius accipit ictum; hoc pro casu computari potest, si juramentum de casu duodecim viris implere possit. Sed non nisi unus ictus vel iactus unius viri pro casu computari debet. 2. §. Si quis cultrum aut gladium in alium stringat, vel tendat arcum animo nocendi, etiamsi non possit lædere; tribus marcis mulctetur tripartiendis. Si hoc fiat in via ad ædem sacram aut judicium ferente; mulctetur ut determinatur in titulo de Violatione juramenti regii. Hæc omnia negotia stent testimoniis eorũ qui præsentes fuere, & territoriali judicio (*u*).

(*t*) *Synops. jur. Diss. 29. qu. 18. 23.* (*u*) *Arguunt plures ictus destinatam voluntatem.*

II. CAP.

Si duo vulnera lethifera ex uno ictu inferantur, quomodo hoc cognosci debeat cum Nemda & juramento, & ut Regis Lensmannus & actor adsint.

Si ex uno ictu casuali plura vulnera lethalia infligi possint; hoc duodecim viri ejusdem territorii, testibus, qui præsentes fuere, cognoscent, & quilibet testium jurabit, prout ipsi prælegitur juramentum, num casu hoc factum sit, vel non. Si casuale sit, mulcta erit xx. marcarum, soli actori addicenda. Hoc juramentum proximo die juridico præstabitur: & Regis Lensmannus & actor homicidam per duos possessionatos viros prius in judicium vocabunt. Si hoc mandatum accipiant, nec adsint absque impedimentis, alter præstet juramentum suum coram præside judicii territorialis vel judicibus suis, & statim expendat, vel caveat actori de xx. marcis, & pro Rege ac territorio immunis sit. Si Regis Lensmanno & actori non ita significatum sit; juramentum differatur in proximum judicii diem, donec actori & Lensmanno legitimè indicetur, & procedat res, sive illis præsentibus sive non præsentibus. Et quicunque se offert ad jusjurandum & mulctam de casuali homicidio, & deficit in juramento; casuale pro voluntario facinore habeatur (*x*).

(*x*) *Diss.* 29. *Qu.* 14.

III. CAP.

Si quis jaculetur aut ejiciat aliquid in alia, & homo interveniat.

Si quis jaculetur vel bombardam exoneret in bruta animalia, vel ad propositum scopum, aut in aliquem locum projiciat hastam, lapidem, perticam, cultrum, vel quodcunque aliud sit, quo noceri possit, atque interveniat homo qui inde interimatur; si author necis juramentum casualis facinoris præstare possit cum duodenâ manu, mulctam xx. marcarum pendat, actori soli attribuendam. Si deficiat in juramento, computetur pro voluntario, non casuali facinore.

IV. CAP.

Si quis necem patiatur ex tendiculis in silva, & de illis publicè denunciandis.

Si quis tendiculas faciat aut insidias struat hasta, chorda, pedica, vel fossa alcibus aut aliis feris, hoc publicè denunciari curabit uno die Dominico ante factas tendiculas, & quidem in templo paræciano loci, ubi eas facere parat, & duobus Dominicis post

factas,

factas,& notificetur ubi sitæ sint. Si quis inde necem accipiat, omissa denunciatione publica; mulcta XL. marcarum erit. Si unus dicat denunciatum esse, alter neget; hoc XII. parœciæ viri testabuntur. Si legitimè denunciatum sit, & inde postea mors hominis contingat; erit mulcta IX. marcarum.

V. CAP.

Si duo cædant arborem, vel volvant saxum, & duo inde moriantur, vel unus.

Si duo cædant arborem, vel saxum volvant, & ambo inde moriantur; erit hoc impunè. Si alter inde moriatur, alter superstes mulctetur 4½ marcis.

VI. CAP.

Si quis decidat in puteum aut pontem, & inde occidatur.

Si puteus sit in pago, circumvallari & puteali tegi debet. Si quis in eum decidens moriatur; possessor putei decem marcis mulctabitur. Si plures fruantur puteo; mulctetur, deficiens in ædificando, non ædificans. 1. §. Si quis decidat in pontem & moriatur; mulctetur, ut in tit. de Jure Ædific. (cap. 3. §. 5.) deciditur. Si plures possideant ponté; deficiens in exstruendo, non exstruens mulctetur.

VII. CAP.

Si quis ascendat in arborem sponte suâ, rogatus aut jussus, & inde decidens moriatur.

Si quis sponte suâ ascendat in arborem, ac decidens moriatur; impunè sit. 1. §. Si quis rogatus ascendat in arborem, & decidens moriatur; mulcta x. marcarum erit. Si quis jussus ascendat in arborem, & decidens occidat; mulcta erit xx. marcarum. Si defuncti hæres dicat, ad preces vel mandatum alterius eum ascendisse, alter verò neget; XII. virorum juramento neget, vel mulctetur, ut ante dictum est.

VIII. CAP.

Si quis ex arbore cadens infra stantem lædat.

Si quis ex arbore decidens damnum inferat subtus stanti; impunè sit (y).

(y) *Quia ab invito factum est.*

IX. CAP.

Si domus ruat in aliquem.

Si domus vel aliud quid manu factum ruat in aliquem, ut inde moriatur; mulcta erit quatuor cum dimidia marcarum. *

* *Ob neglectam reparationem domus.*

X. CAP.

Si vehes ruat in obvium.

Si vehes ruat in hominem; impunè fit, quæcunque vehes fit (z).

(z) *Quia propria vehentis incuriâ factum est.*

XI. CAP.

Si impuber occidat alium deditâ operâ.

Si impuber major septem annis, & minor quindecim annis aliquem occidat ex proposito; impuberis voluntarium facinus erit, velut adulti casuale facinus, & mulctetur xx. marcis. Ex illis viginti marcis actor capiet XIV. marcas, & tres marcas Rex, & totidem territorium.

XII. CAP.

Si impuber occidat alium casu.

Si impuber occidat aliquem casu; mulctetur novem marcis, soli actori, non Regi aut territorio præstandis. 1. §. Si sit septem annorum aut infra, & voluntate occidat; mulctetur $4\frac{1}{2}$ marcis. Si casu occidat; mulctetur tribus marcis soli actori addicendis. Si vulnus non homicidium interveniat; vulnus impunè fit.

XIII. CAP.

Quomodo impuber homicidii convinci debeat.

Si impuber homicidium inficietur; ille æquè homicidii convincatur, atque quivis alius. Si unus dicat impuberem esse, alter neget; id XII. territorii viri attestentur, sex utrinque. 1. §. Mulier ejusdē juris sit cū viro in mulcta facinoris casualis, sive occidat, sive occidatur.

XIV. CAP.

Si fœmina casu interficiatur, quæ prægnās esse dicitur.

Fœmina casu occidi potest, quæ gravida esse dicitur: hîc infantis hæredes proximam facultatem habent cum duabus mulieribus attestandi, & cum duodenæ manus juramento, quod prægnans fuerit; & ita mulcta augetur $4\frac{1}{2}$ marcis. XV. CAP.

XV. CAP.

Si amentes homicidium perpetrent, vel aliud detrimentum; & quomodo hoc publicè indicari debeat, quod amentes sint.

Si vir aut fœmina sit alienatæ mentis; propinqui ejus, simulac resciverint, hoc publicè significabunt vel denunciabunt coram vicinis & parœcianis, & illum vel illam custodia continebunt, si possint. 1. §. Si ille vel illa custodia elabi queat, & occidat hominem, vel incendat pagum, casualis facinoris mulcta sit novem marcarum. Hæc mulcta non sit major, etiamsi pagus aut colonus incendio pereat. Si homo ille vel illa homicidium committat, homicidii casualis mulcta novem marcarum erit; ita hæredes eorum pro illis solvent. Si non adsint testes denunciationis publicæ, eorum, qui denunciationem curare debebant, dimidio major erit. 2. §. Quodcunque facinus amens committit, & hæredes ejus sciunt eum amentem esse, ille verò necem aut vulnus accipit, vel aliud detrimentum, mulcta dimidio minor sit.

XVI. CAP.

Si pater aut mater occidat filium suum casu.

Si pater aut mater occidat filium suum casu, & uterque vivat; & alteruter actionem instituat contra homicidam; præstetur casualis homicidii juramentum & mulcta, nec quis illud ulterius agravet lege vel pœnâ. Si neuter accuset alium, ab utroque immugis sit.

XVII. CAP.

Si pecus occidat hominem, vel fera, vel av,is domi enutrita.

Si pecus, bos, verres, caper, equus, canis, caballus, vel quodcunq; sit animal, interficiat hominem; decem marcis mulctetur dominus istius animalis. 1. §. Si quis domi alat feram aut aves, quæ detrimentum facere possunt; teneatur dominus earum tam pro illis, quàm aliis animalibus in omnibus hujusmodi factis. Si dominus eorum inficietur illud; defuncti hæredes eum convincant illius cum duobus testibus & duodenæ manus juramento (†).

(†) *Synops. Iur. Diss. 26. qu. 9.*

TITULUS XII.

DE VULNERATIONE VOLUNTARIA.

1. *Quomodo alius vulnerationis convincendus sit.*
2. *Si simul vulneratio & rapina fiat.*
3. *Si quis cædat alium in digladiatione, plenâ vulneratione factâ, ita ut præcidatur nasus vel auris, vel excutiatur ei oculus &c.*
4. *Si quis amputet alii digitum manus, vel talum pedis.*
5. *Si quis amputet alii digitum pedis.*
6. *Si quis cædat aut pungat alium, ita ut plenum vulnus subsequatur, nec tamen amputatio membri.*
7. *Si quis feriat aliũ in dorso, brachio vel crure, sic ut claudum vel mutilũ fiat.*
8. *Si quis cædat aliquem in manu, ita ut digitus contrahatur.*
9. *Quomodo excussio dentium mulctanda sit: & quomodo mulctandum & dividendum sit, ubi concurrunt vulnerationis & mutilationis mulctæ.*
10. *De vulnere carnis, ruptæ cutis, aut minori vulnere.*
11. *Quomodo vulnera sint æstimanda & mulctanda, si dissensio interveniat.*
12. *Si quis ita cædatur aut mutiletur, ut in judicium vel templum ire nequeat, & ad curandum inspici vulnera sua.*
13. *Si quis alteri colaphum ducat perticâ aut lapide.*
14. *Si in conflictu unus necem, alter vulnus accipiat.*
15. *Fœminæ vulneratio æquè, atq; viri, æstimetur; nisi mortuum infantem pariat.*
16. *Quomodo vulneris cura sit habenda intra annum & noctem, atque diutius, si ita necesse sit.*
17. *Si quis alium occidat aut vulneret in agro vel prato, tempore veris aut brumæ.*
18. *Quomodo impuber mulctandus sit pro vulneratione aut mutilatione.*
19. *De viris percutientibus aut malè tractantibus uxores suas.*
20. *Si canes aut pecora alterius vulnerent aliquem.*

I. CAP.

Quomodo alius vulnerationis convincendus sit.

SI quis alium vulnerationis convincere velit, & accusatus dicat, se quidem in loco conflictus fuisse, non verò proposito lædendi aliquem, vel neget se ibi fuisse; tunc Nemda territorialis cognoscere & conte-

stari

ſtari debet, & de quo adfirmat utrinque, quod in loco conflictus fuerit, animo inferendi, vel non inferendi damnum, ei ſtabitur: Et quem excipit, quod in loco conflictus non fuerit, vel ibi fuerit, ſed non propoſito nocendi, ille ſit inſons. Deinde vulneratus poteſtatem habeat eum vulnerationis convincendi quem velit, cum ſex virorum præſentium juramento, & qui non exceptus ſit â Nemda.

II. CAP.

Si ſimul vulneratio & rapina fiat.

Si ſimul uni viro vulneratio & rapina fiat; convincat ille authorem utriusque, & hic pro quolibet facinore ſeorſum mulctetur (a).

(a) *Actiones pœnales de eadem re concurrentes, alia aliam non conſumit. Reg. jur.* 130.

III. CAP.

Si quis cædat alium in digladiatione, plena vulneratione facta, ita ut præcidatur naſus vel auris, vel oculus ei excutiatur, &c.

Si viri conveniant in digladiatione iratis animis, & alter alteri infligat plenum vulnus, naſum à viro, aut oculum excuſſum, vel aurem præciſam, vel in facie aut collo, ſic ut inde perpetuam mutilationem & deformitatem habeat, vel amputet ipſi manum aut pedem; qui hoc facit, mulctetur XII. marcis pro mutilatione ſoli actori addicendis, & viginti marcis tripartiendis pro vulneratione. I. §. Si viro abſcindantur duo membra, mulcta dimidio major ſit, tam in mutilatione, quàm vulneratione, nimirum XXIV. marcæ pro mutilatione, & XXIV. marcæ, in tres partes dividendæ, pro vulneratione. Si plura membra quàm duo recidantur ex ante dictis; tam unum quàm alterum membrum æſtimetur in mutilationis & vulnerationis mulcta.

IV. CAP.

Si quis amputet alii digitum aut poſteriorem partem pedis.

Si quis amputet alii pollicem aut poſteriorem pedis partem; mulcta novem marcarum erit pro mutilatione, & duodecim marcarum

rum tripartiendarum pro vulneratione: quia pollex eſt dimidia manus, & calcaneum dimidius pes. Si quis amputet proximum à pollice digitum, mulctetur ſex marcis pro mutilatione, & novem marcis pro vulneratione. Longiſſimus digitus ſit in eadem mulcta. Proximus à minimo digito ſit trium marcarum pro mutilatione, & ſex marcarum mulctæ pro vulneratione. Minimus digitus ſit in eadem mulcta.

V. CAP.

Si quis amputet alii digitum pedis.

Si quis præcidat alii digitum pedis; quilibet æquè æſtimetur in vulneratione atque digitus manus, & dimidio minus in mutilatione.

VI. CAP.

Si quis cædat aut pungat alium, ita ut plenum vulnus ſubſequatur, nec tamen amputatio membri.

Si cui infligatur plenum vulnus, quod tamen non ſubſequatur amputatio membri, & ſi quis cædatur vel transfigatur per cutem enſe, cultro vel haſtâ, vel quocunque armorum genere, vel transfigatur per femur aut brachium, aut quodcunque aliud membrum, vel cædatur in capite, brachio aut crure, ſic ut oſſa luxentur & eximantur, vel ſi crus aut brachium concidatur aut percutiatur, ita ut frangantur: hæc ſunt plena vulnera; mulcta ſit xx. marcarum. Ibi mulctæ mutilationis non eſt locus.

VII. CAP.

Si quis ferit alium in dorſo, brachio vel crure, ſic ut claudum vel mutilum fiat.

Si quis cædatur in dorſo, brachio vel crure ſic ut cæſus inde contractus, claudus aut mutilus fiat; mutilationis mulcta ſex marcarum erit. Si non contractus, claudus aut mutilus fiat, mutilationis mulcta non ſubſequetur.

VIII. CAP.

VIII. CAP.

Si quis cædat aliquem in manu, ita ut digitus contrahatur.

Si quis cædatur aut percutiatur in manu sic ut pollex contrahatur & inutilis reddatur; mulcta trium marcarum erit, & duodecim orarum proximus digitus, sex orarum inde proximus, trium orarum inde proximus,& $4\frac{1}{2}$ trientum minimus digitus. Pro vulneribus autem ratione æstimationis mulctabitur.

IX. CAP.

Quomodo excussio dentium mulctanda sit; & quomodo mulctandum & dividendum sit, ubi concurrunt vulnerationis & mutilationis mulctæ.

Si homini excutiantur anteriores dentes, vel alii dentes mandibulæ, superius & inferius, hoc pro integro membro reputatur; mutilationis mulcta sit XII. marcarum, & vulnerationis XX. marcarum. Si quatuor dentes excutiantur; sex marcarum mulcta erit pro mutilatione,& duodecim marcæ tripartiendæ. Si duo excutiantur; mulcta erit trium marcarum pro mutilatione, & sex marcarum pro vulneratione. Si unus excutiatur; mulcta duodecim orarum erit pro mutilatione, & trium marcarum pro vulneratione. 1. §. Si concurrant vulnerationis & mutilationis mulctæ; mulctæ vulnerationis in tres partes, unam actori, alteram Regi, tertiam territorio, dividentur: Sed mutilationis mulcta solius actoris erit. Ubi mutilationis mulctæ solvendæ sunt pro amputatione membri, simul solventur cum vulnerationis mulctis. Ubi non intervenit abscissio membri, cognitio ad annum & diem suspendetur. Elapso anno & die, præses judicii sex de territorio nominabit: Illi cognoscent, num ita sit contractus vel mutilatus, ut debeat mutilationis mulctam capere, vel non capere.

X. CAP.

De vulnere carnis, ruptæ cutis, aut minori vulnere.

Si alicui vulnus carnis aut ruptæ cutis infligatur; mulcta sit sex marcarum: actor accipiat tres marcas, & tres marcæ in tres partes dividantur. Si cui infligatur minus vulnus, quàm modo dictum est, & livoris aut sanguinis signa appareant; sit mulcta trium marcarum tripartiendarum.

XI. CAP.

Quomodo vulnera sint æstimanda & mulctanda, si dissensio intervenerit.

Si unus dicat minora vulnera fuisse, alter majora; præses judicii territorialis sex eliget viros ad æstimandum ista vulnera, & pro iis mulctam postulandum, prout jus & æquum esse ajunt.

XII. CAP.

Si quis ita cædatur aut mutiletur, ut in judicium vel templum ire nequeat, ad curandum inspici vulnera sua.

Potest aliquis ita cædi vel mutilari, ut non sit habilis ad templum vel judicium visitandum, actionis instituendæ, vel vulnerum inspiciendorum causa; tunc id nunciandum est præsidi, qui ei nominabit sex veridicos viros, qui ad vulneratum venient intra quatuordecim dies, ex quo damnum factum est, & æstiment vulnus ejus, & pro illo mulctam solvi curent, prout juramento firmare volunt, & pro quantitate vulneris ac damni. Qui cunque ex illis sex à præside legitimè nominatis advenire recusat, atq; nō impeditus est, mulctetur tribus marcis tripartiendis inter actorem, Regē, & territorium. Si præses territorii nuntium accipiat, & nominare dictos viros nolit; mulctetur sex marcis tripartiendis.

XIII. CAP.

Si quis alteri colaphum ducat perticâ aut lapide.

Si quis alii impingat alapam perticâ aut lapide, nec appareat damnum, & hoc fiat in parœciâ, in convivio, vel alibi ubi conventus hominum est, atque si adsint duo testes, qui præsentes fuerunt & viderunt; mulctetur tribus marcis tripartiendis. Si non habeat duorum virorum testimonia, ut modò dictum est, nec appa-

appareat damnum; purget se incusatus sex virorum juramento judiciali, & insons sit. Cui alapa ducitur, nec apparet damnum, de ea non nisi actori agere licet.

XIV. CAP.

Si in conflictu unus necem, alter vulnus accipiat.

Si congrediantur viri iratis animis, & unus inde necem, alter vulnus accipiat; mors pianda, sed vulnus impune est. Si ambo vivant, & vulnus à se invicem accipiant, ita ut unus plenum vulnus, & alter minus detrimentum accipiat; quilibet mulctam pro vulnere accipiat, ratione æstimationis eorum.

XV. CAP.

Fœminæ vulneratio æquè atque viri æstimetur; nisi mortuum infantem pariat.

Si fœminæ plenum vulnus infligatur, vel minus; id æquè æstimabitur, atque si viro factum esset: Nisi ita cædatur, ut mortuum infantem pariat; tunc mulcta ejus augetur novem marcis, & istius mulctæ nec territorium nec Rex participes sunt. I. §. Si mulier vulneret virum; tam illa ad plenam mulctam præstandam tenebitur, quàm vir, & quæratur ejus actor, & mulctetur ex suis non viri nummis.

XVI. CAP.

Quomodo vulneris cura sit habenda intra annum & noctem, atque diutius, si ita necesse sit.

Si quis vulneretur in capite, vel quodcunque vulnus lethale sit; author vulneris curam ejus habebit usque ad annum & diem ex quo vulneratio facta est, nec diutius: Nisi Nemda judicii testetur & juret, prout singulis prælegitur juramentum, quod ex rei manibus mortuus sit; tunc disciplinam ecclesiasticam subeat, & mulctetur ut alii homicidæ, pro qualitate facinoris. I. §. Si quis cædatur & vulneretur ab alio, & hic mulctam solvat actori, Regi & territorio, & actor det ei apocham de compositione vel satisfactione: si moriatur ex isto vulnere, postquam mulcta soluta est, & antequam finitus sit annus & dies, ex quo facinus commissum est; actor non habet potestatem ulciscendi, sed legitimam mulctam capere debet, & hoc prius computetur pro mulcta, quod acceptum est; deinde jure exigatur quod restat. Rex verò & territorium adquiescere debent acceptæ semel mulctæ, nec ea amplius augeri debet.

XVII. CAP.

Si quis alium occidat aut vulneret in agro vel prato, tempore veris aut brumæ.

Si quis eat ad alium animo nocendi ipsi patrifamilias aut familiæ ejus in agro tempore veris, vel in agro aut prato ejus tempore brumæ, cædat vel percutiat, vel feriat ad livorem & sanguinem usque colonum aut familiam ejus; omne dupli pœnam meretur quod facit author hujusmodi percussionis, & impunè quod patitur. 1. §. Si verò subita (b) dissensio intervenerit in agro vel prato tempore messis; mulcta solvatur, ut deciditur in titulo de Vulneratione, de quovis damno, nec pro violatione pacis: & Nemda cognoscet, quid in hoc verum sit.

(b) *Synops. jur. Diss. 29. Qu. 36.*

XVIII. CAP.

Quomodo impuber mulctandus sit pro vulneratione aut mutilatione.

Si impuber (c) infligat alicui plenum vulnus vel ad sanguinem usque cædat, qui major septem, & minor sit quindecim annis; mulctetur XII oris pro mutilatione, si ea facta sit: Si minus damnũ inferat, livoris aut cruoris signis apparentibus; tribus oris mulctetur. 1. §. Si minor VII. annis tale quid committat; impunè sit. Ex mulctis autem ab impubere solvendis, actor solus capiat quod ipsi debetur, non verò Rex, aut territorium.

(c) *Diss. 29. Qu. 19.*

XIX. CAP.

De viris percutientibus aut malè tractantibus uxores suas.

Etiamsi Deus viro dederit uxorem in adjutorium & subjectionem, non verò in mancipium & scabellum, & se invicem diligere debeant, illa eum ut caput, & ille eam ut membrum: tamen si contingat maritum ex odio, vel malitiâ, vel ebrietate, vel amore erga alias uxores, suam uxorem verberare ad livorem vel sanguinem usque, vel

vel ut clauda ac mutila fiat; dupli pœna erit, & propinqui ejus hîc actores erunt. Si modicè eam pro delicto castiget; impunè sit. Hoc cognoscet Nemda & vicini, & quid verum sit. 2. §. Si quis verberet conductum famulum aut ancillam ita ut inde claudicent aut mutilentur; legitima hîc erit mulcta, ut aliorum. Si pro noxa eos modicè castiget; impunè sit (*d.*)

(*d*) *syn. jur. Diss. 27. qu. 8. & Diss. 29. qu. 8.*

XX. CAP.

Si canes aut pecora alterius vulnerent aliquem.

Si canis mordeat hominem; dominus noxæ dedat canem, vel mulctetur sex oris. Si aliud pecus, quodcunque sit, vulnus faciat homini; dominus mulctetur sex oris. Si mutiletur damnum passus; mutilationis mulcta tanta erit, quanta est vulnerationis. Si dominus negare velit, pecus ejus id fecisse; læsus hoc duobus testibus probandi facultatem habebit.

(*e*) *Synops. jur. Diss. 26. qu. 9.*

TITULUS XIII.

DE VULNERATIONE CASUALI.

1. *Si quis petat alium ictu, & alii interveniēti præcidatur nasus, vel auris, vel effodiatur oculus, vel infligatur plenum vulnus absque tamen amputatione membri.*
2. *Si quis alii casu infligat plenum vulnus, absque membri abscissione. & si quis alteri præcidat digitum manus.*
3. *Si quis digitum pedis amputet aliis.*
4. *Si quis aliquid projiciat aut jaculetur, idq; impingat prius alibi, quàm damnum inferatur.*
5. *Si quis aliquid projiciat, nec id quoquam impingat ulterius quàm damnum factum sit.*
6. *Si quid casu quodam manu emissum sit. & de mulcta mutilationis casu factæ.*
7. *Quinam pugionem, machæram aut venabulum gestare vel non gestare possint.*

I. CAP.

I. CAP.

Si quis petat alium ictu, & alii intervenienti præcidatur nasus vel auris, vel effodiatur oculus, vel infligatur plenum vulnus, absque tamen amputatione membri.

Si quis alii intentet ictum, & alii intervenienti præcidat nasum vel aurem, vel effodiat oculum, vel feriat illum in facie vel collo, ita ut inde perpetuam mutilationem aut deformitatem habeat, vel præcidat manum aut pedem; mulctetur casualis ictus mulctâ sex marcarum pro vulneratione, & novem marcis pro mutilatione. 1. §. Si quis infligat alii plenum vulnus casu quodam, in quo non amputatio membri vel mutilatio interveniat, nec contractum aut claudum fiat; sit mulcta sex marcarum pro vulneratione, nec sequatur mutilationis mulcta. Nemda verò cognoscat, num sit casu vel voluntate factum, ut deciditur in titulo de Homicidio Casuali.

II. CAP.

Si quis alii casu infligat plenum vulnus, absque membri abscissione: & si quis alteri præcidat digitum manus.

Si quis cædat alterum in tergo, vel brachium aut crus ei casu rumpat, quod pro pleno vulnere computari possit, nec interveniat amputatio, sed membrum aliquod contractum aut mutilum reddatur, ita ut inde perpetuam deformitatem habeat; solvat sex marcarum mulctam pro vulneratione, & novam marcas pro mutilatione. 1. §. Si quis aliis amputet digitum pedis, vel posteriorem partem pedis; tribus marcis pro vulneratione, & sex marcis pro mutilatione mulctetur. Si proximum digitum quis amputet; mulctetur 12. oris pro vulneratione, & tribus marcis pro mutilatione. Si longissimum digitum quis præcidat, eadem mulcta erit. Pro eo qui proximus est minimo digito, mulcta sit novem orarum pro vulnere, & duodecim orarum pro mutilatione. Minimus digitus sit in eadem mulcta.

III. CAP.

III. CAP.

Si quis digitum pedis aliis amputet.

Si quis amputet digitum pedis alicui casu; æqualis æstimationis cum digito manus in vulneratione sit, & in mutilatione dimidio minoris æstimationis.

IV. CAP.

Si quis aliquid projiciat aut jaculetur, idque impingat prius alibi, quàm damnum inferatur.

Si quis projiciat lapidem aut perticam, vel quodcunque sit, & alibi descendat prius, quàm damnum faciat, & impingat in saxum vel domum, vel jaciat supra domum, nec videt quò descendat: hoc dicitur manu temerè vel casu emissum. Si quis ex adverso stet, & inde detrimentum vel quodcunque damnum accipiat, ut ante dictum est; pro vulnere dimidio minus solvat quam antea dictum est: si mutilatio insit, ea mulctetur, ut in aliis casibus, pro qualitate ejus.

V. CAP.

Si quis aliquid projiciat, nec id quòquam impingat ulterius, quàm damnum factum sit.

Si quis cædat alium, vel percutiat tibias, projiciat aut jaculetur quid, ita ut nusquam impingat, antequam damnum faciat; stabit hoc cognitione Nemdæ territorialis, num pro casuali facinore computandum sit, vel non, & mulctetur reus pro ratione facti, & prout Nemda hoc ponderat.

VI. CAP.

Si quid casu quodam manu emissum sit: & de mulctâ mutilationis casu factæ.

Ubi damnum casuale accidit, quando quis rem manu non firmiter tenet, sed temerè emittit, & alibi obstaculum prius invenit, quàm damnum facit, ut si quis projiciat aliquid

quid ſupra domum, nec advertit quò decidat, vel quodcunque ſit imprudenter emiſſum; ibi author læſionis mulctam facti caſualis pendat, & caſuale juramentum præſtet, etiamſi actor mulctam accipere nolit. 1. §. Ubicunque mutilatio intervenit in mulcta damni caſualis, ſic ut abſit amputatio membri; mutilationis mulcta in ſequeſtro erit ad annum (f) & diem. Stabit verò ſex virorum cognitione, num mutilationis mulctam accipere debeat vel non. Tam juvenes quàm ſenes mulctam mutilationis ſolvent.

(f) *Vid. ſup. c. 9. & 16.* Sát. m. wil. ll. *de vuln. volunt.*

VII. CAP.

Quinam pugionem, machæram aut venabulum geſtare vel non geſtare poſſint.

Cujuscunque Nobilis familia, uti ſunt villicus, colonus, vel eorum miniſtri, molitores vel inquilini, famuli conductitii vel agricolarum filii, ruſtici & eorum familia, præter eorum ſervos & ſatellites, qui ſuo domino ſerviunt eumque ſequuntur & ſpe libertatis ſerviunt, geſtant pugionem, machæram aut venabulum & teſtibus convincuntur; mulctentur tribus marcis, Regi, territorio & actori addicendis: ille verò ſit actor, qui tales deprehendit. Si non poſſit ſolvere mulctam aliquis eorum; præſes judicii cultro manum ejus transfiget. Si inſimuletur hujus facti; purgabit ſe ſex virorum juramento.

TITULUS XIV.

DE FURTO.

1. *De pœna ejus qui patrisfamilias uxorem illi ſuffuratur aut ad ſe allicit. Si ſoluta mulier aufugiat cum conjugato viro.*
2. *Si abigens furetur bovem, ovem, ſuem vel aliud.*
3. *Si abigens habeat participem ſocietatis, vel privignos.*
4. *Si abigens ſit uxoratus, & uxori ejus culpa impingatur.*
5. *Si fur non deprehendatur in recenti facinore.*
6. *Si fur ad dimidium marcæ furetur, & in eo deprehendatur.*

7. Si

I. CAP.

De pœna ejus qui patrisfamilias uxorem illi suffuratur, aut ad se allicit.

Optima res, quam paterfamilias in bonis suis habet, est legitima uxor ejus: quicunque eam suffuratur illi, pessimus & maximus fur est. Ideoque qui patrisfamilias uxorem ab ipso ad se allicit, & cum ea aufugit, si cum ea in recenti facinore deprehendatur; in judicium adducetur, condemnabitur, & supra alios fures suspendetur. Si paterfamilias uxori suæ vitam concedere nolit; illa quoque in judicium deducetur, & damnata mortis, viva defodietur in terram. 1. §. Si quis hujusmodi facinoris insimulari possit, nec in eo deprehensus sit, nec sufficientes testes adsint; stet illud cognitione Nemdæ: Si illum absolvat, sit absolutus: si damnent, mulctetur XL. marcis, dimidia parte actori, & dimidia parte Regi addicendis. Quilibet verò reorum Episcopo loco mulctæ sex marcas pendat, & disciplinam Ecclesiasticam subeat. Si verò actor plenam probationem secum habeat à territorio, in quo aufugerunt; Regis prætor, ubicunque eos reperit, eum adjuvabit in apprehendendo eos, & jus dicendo in eos, ut ante dictum est. 2. §. Si quis redemptionis pretium ab illis capiat, nisi actor pro iis intercedat; det actori illud pretium & insuper XL. marcas, soli Regi addicendas. Lex eadem sit, si soluta fœmina aufugiat cum uxorato viro.

II. CAP.

Si abigeus furetur bovem, ovem, suem vel aliud.

Si

Si quis furetur alterius pecus, bovem, porcum, ovem, capram, vel quicquid furetur intus domi, aut foris in campo, quod est unius anni, abducat in silvam aut latebras, ibique fruatur eo, vel in propria sua vel alterius viri domo: qui hoc facit, ille dicitur Gortiusfuer/ i. e. abigeus, aut fur vivi pecoris†. Si capiatur, & res furtiva cum ipso; vinctus in judicium ducetur cum eadem re, & XII. testium juramento convictus, quod sit verus fur, & vera res furtiva cum eo istuc allata, damnabitur ille ad patibulum, nec locus erit redemptioni. Ex hujus mobilibus actor unam partem, Rex alteram, & tertiam territorium capiet.

† in quo mactato *excrementum* (gor Sueticè) sequitur exempta intestina, unde denominatio est. Vid. Lexic. jur. Sueogoth. in Gortiusfuer.

III. CAP.

Si abigeus habeat participem societatis & privignos.

Si fur habeat participem societatis, privignos vel proprios suos liberos, qui penes se habent pecuniam cum ipso; non potest in illorum bona damnari: Nisi plenis documentis probari possit, aliquem eorum furatum esse, occultasse, vel fruitum esse cum eo. Si nihil horum sit, eorum pars prius separabitur à parte furis.

IV. *CAP.*

Si abigeus sit uxoratus, & uxori ejus culpa impingatur.

Si abigeus sit conjugatus; uxoris ejus bonorum pars prius secernetur: Nisi sufficientibus probetur rationibus, eam cum illo furatam, rem furtivam occultasse & fruitam esse. 1. §. Si damnum passus, vel Regis Lensmannus in uxorem culpam conferre queat; ei incumbet probatio, & purgabit se cum duodena manu, quod nunquam occultaverit aut fruita sit, quod sciebat furto ablatum esse. Si se tali juramento purgare nequeat; tam ejus quàm mariti mobilia in divisionem & confiscatio-

nem veniant. Si se dicto modo purgare possit; insons sit. 2. §. Si quis culpam conferat in eos qui in societate erant, vel pecuniam possidebant cum viro; eodem modo se purget ille, quo uxor. Abigeus, de quo ante, vita & bonis plectetur.

* *Vid. c. 32. OL. §. 1. de furto.*

V. CAP.

Si fur non deprehendatur in recenti facinore.

Si fur non capiatur in recenti facinore, & tamen insimuletur ejus; judicii territorialis Nemda vel absolvet vel damnabit eũ. Si damnetur; refundet patrifamilias quod debet, & XL. marcas tripartiendas: nec capite plectetur, nec mobilia ejus confiscabuntur. Si absolvatur; sit absolutus.

VI. CAP.

Si fur ad dimidium marcæ furetur, & in eo deprehendatur.

Si quis furetur aurum, argentum, præsentem pecuniam, equum, vestem, arma, vel quæcunque res furtiva sit, majoris quàm dimidiæ marcæ pretii, sique in manifesto furto deprehendatur; ligabitur & in judicium ducetur, & re testatâ, ut ante dictum est, & sententiâ in eum latâ, suspendetur (g): nec locus mulctæ, nec confiscationi bonorum erit.

[g] *De pœna furti vid. in Synops. jur. Diss. 24. qu. 5.*

VII. CAP.

Si quis insimuletur furti, nec in manifesto furto deprehensus sit, quomodo se purgare debeat.

Si quis insimuletur pleni furti, nec in eo deprehensus sit, nec per veram investigationem domi ejus res furtiva reperta sit, ex qua teneri debet, nec legitimè ejus convictus sit; præses judicii territorialis vel absolvet, vel damnabit eum. Si damnetur; refundet patrifamilias ablatum, & XL. marcas tripartiendas: nec capitis pœna afficietur, nec ejus mobilia confiscabuntur. Si absolvant eum, absolutus sit.

VIII. CAP.

VIII. CAP.

Si quis furetur tres oras, nec dimidium marcæ.

Si quis furetur tres oras & minus dimidiâ marcâ, & in manifesto furto deprehendatur; vinctus judicio sistetur cum re furtiva; ibi æstimanda. Si duodenæ manus juramento convictus sit; flagellabitur, amputatis duabus auribus.

IX. CAP.

Si quis insimuletur trium orarum furti.

Si quis non deprehendatur in manifesto furto, & tamen accusetur furti; purget se duodenæ manus juramento, vel restituat furto ablatum, & novem marcas tripartiendas solvat. 1. §. Non pro minori summa, quam dimidia marca suspendatur, nec à tergo, sed ante ipsum manus vincientur.

X. CAP.

Si quis furetur duas oras, vel minus.

Si quis duas oras & minus tribus oris furetur; flagelletur amputata una aure. Sex virorum testimonio convincetur. Si insimulatus furti, in eo non deprehensus sit; purget se novem virorum juramento, vel restituat furto ablatum, & sex marcarum tripartiendarum mulctam præstet.

XI. CAP.

Si quis furetur hædum, agnum aut anserem: & de rei exiguæ furto ablatæ mulcta.

Si quis furetur minus duabus oris, hædum, agnum, porcellum, anserem, vel quodcunque sit, quod minus quam duas oras valeat, sique deprehendatur, & duorum testimonio convincatur, accedente tertio, actore; ad sepem vel trabem alligabitur & flagellabitur. Si insimuletur furti, nec in eo deprehendatur; purget se sex virorum juramento, vel restituat furto ablatum, & tres

& tres marcas tripartiendas solvat. 1. §. Si quis furetur rem pretii dimidiæ marcæ, vel minoris, nec in eo deprehendatur; purget se trium virorum juramento, vel sex oras mulctæ loco solvat actori: Hæc dicitur rei exiguæ furtivæ mulcta, Snattara both.

XII. CAP.

De capiente furem, & iterum dimittēte, vel pretium redemptionis pro eo accipiente.

Quicunque capit verum furem, & iterum dimittit eum, antequam legitimè convictus sit; mulctetur XL. marcis. 1. § Si etiã fur legitimè convincatur; redemptionis pretium pro eo non capietur, sed patibulo affigetur. Si quis audeat redemptionis pretium pro eo capere; reddat illud Regi, & XL. marcas, solius Regis mulctam. Vel si dimittat furem impunitum, XL. marcis mulctetur.

XIII. CAP.

Quomodo inquirenda sit res furtiva, atque si fur resistat ad se defendendum, & effringatur janua.

Si quid furtò auferatur colono, hoc coram vicinis denunciabit, & quantum ipsi ablatum sit. Iam verò suspicionem habeat, quò devenerit, eò se conferet cum quatuor viris, & veniam legitimè inquirendi petet, nec ei denegabitur inquisitio. Tunc duos viros assument, quilibet suum; & ille, qui inquisitionem petit, dicet, quanam re & quali caruerit: & alter dicet, quid intus sit coram ipsis. Illi verò discincti ingredientur, & ita scrutabuntur, ut colonus ab illis nullum damnum habeat. Si intus sit, quod furto ei ablatum est, videbunt num fenestra sit in pariete, tanta ut tale quid per eam injici possit, & res furtiva non sit absconsa, vel foramen aut transeña sit sub limine, per quod transmitti possit; colono sit facultas purgandi se XII. virorum juramento, non verò, si non adsit fenestra aut transenna. Si inquirendus deneget ipsis inquisitionem; mulctetur tribus marcis. Custodia etiam apponetur foribus, & colonus per baculum denunciatorium proximos vicinos eò convocabit. 1. §. Si colonus redeat cum suis vicinis, alter verò ob-

obſiſtat pugnâ & defenſione, & occidatur aut vulneretur obſiſtens; impunè ſit: ſi autem advenientes necem aut vulnus accipiant; dupli pœna eſt. 2. §. Si effringant ejus januam & ingrediantur atque inquirant, ibique inveniant furem quæſitum; illum capient & in judicium ducto, ſententiam furis, de qua ante, dicent. Si non inveniant inquiſitum; exſors ſit culpæ ei imputatæ, & inquirens mulctetur tribus marcis pro effractione januæ: & illi extra culpam ſint, qui convocati erant. 3. §. Clauſarum ædium paterfamilias curam habebit non apertarum. Quiſque etiam curam ejus domus habebit, ad quam ſeram & claves habet.

Confer Synops. jur. de re furtiva inquirenda in alterius domo, Diss. 24. qu. 2.

XIV. CAP.

Si qui in judicium legitimè vocati & juſſi ſcrutari rem furtivam accedant ad alicujus domum, paterfamilias autem cum armis reluctetur.

Si qui in aliorum domum ſe conferant legitimè in judicio vocati, propter facinus ad aliquem deducendum aut inquirendum & inveſtigandum, & paterfamilias reſiſtat cum armis, nec aperire domum velit, nec offerre mulctam; paterfamilias tenebitur, donec reſeretur domus. Si alicui inferat manus aut noceat; dupli mulcta erit, & omne illud impunè, quod patitur, ſive ſit cædes, vulnus aut mors.

XV. *CAP.*

Quomodo omnis generis res cum proxenetis & teſtibus emendæ ſint.

Si quis emat ab alio pecora vel jumenta ungularum biſulcarum aut ſolidarum, quæcunque ſint, hæc omnia cum arbitris vel æſtimatoribus & teſtibus ementur. Qui proxeneta vel æſtimator eſſe debet, ille domicilium ſuum habebit, & indigena loci vel regionis erit, in qua emptio fit, & curabit illud rectè adquiſitũ eſſe, quod ei æſtimat. Ibi aderunt minimùm duo teſtes qui teſtentur de rebus emptis. 1. §. Aurum vel argentum factum vel aliud metallum, facta arma, ſciſſas veſtes, domum & fores clauſas cum æſtimatoribus & teſtibus quiſque emere debet, ut ante dictum eſt. Quando datâ & acceptâ dextrâ æſtimatum eſt, legitimè emptum dicitur.

XVI. CAP.

Si contendatur de jumentis aut pecoribus emptis, & emptor deficiat in testimoniis.

Si quis controversiam alii moveat de jumentis aut pecoribus emptis, auro, argento, armis aut supellectile, pecunia vel quodcunque sit, quod dicit suum esse; tunc possidentis testimonio stabitur, qui testari potest domi natum esse, si animatum sit, domi factum esse, si inanimatum sit. 1. §. Si sit dimidiæ marcæ vel pluris; defendat se duodecim virorum juramento: quod si testibus & juramento probare possit; absolvatur: sed si in illis deficiat; solvat controversum, & insuper xl. marcas. Si sit trium orarum & minus dimidiâ marcâ; defendat se duobus, testibus & x i i. virorum juramento: in quo si deficiat; solvat controversum, & novem marcas tripartiendas. Si sit duarum orarum, & minus tribus oris; vendicet sibi duorum virorum testimonio, & sex virorum juramento, vel restituat controversum cum sex marcis. Si plus sit una ora, & minus duabus oris; defendat hoc duorum virorum testimonio, & trium virorum juramento: si in eo deficiat, solvat controversum, & tres marcas tripartiendas. Si minus sit una ora; defendat hoc duorum virorum testimonio, & proprio suo juramento. Si testari non possit; solvat controversum, & sex oras actori attribuendas.

XVII. CAP.

Si quis provocet ad publicationis testes; & quomodo producendus sit author, à quo quis rem adquisivit, intra tres hebdomadas.

Si possessor rei impetitæ eam velit deducere ad authorem suum à quo adquisivit, & dicat se ab eo emisse, vel pignoris loco accepisse, vel conduxisse, vel utendum habuisse, vel cum denunciatione

ciatione publica accepisse, atque ita titulum legitimæ possessionis probare velit; pro eo duo viri, qui proprium fundum habent, sequestrationis fidem interponent: & ille authorem suum, à quo rem adquisivit, & testes suos producet intra tres hebdomadas, si sit intra territorium. Si sit extra territorium, & provinciam ac jurisdictionem, & tamen in regno; trium mensium spatium habeat ad probandum dominium suum, & producendum eum à quo adquisivit. Si extra regnum sit; intra annum & diem eum producat: quod si faciat intra dictum tempus; absolvatur: & ille respondeat ad causam, ad quem possessor se remisit.

XVIII. CAP.

Si author rei in alium translatæ, vel testes non præsto sint.

Si quis nominet possessionis suæ titulum & mediatorem ac testes, sed eos non producat intra legitimū citationis diem, uti dictum est, sed velit impedimentorum testes producere; hæc erunt legitima impedimenta: 1. Si in morbo decumbat aut vulneratus sit. 2. Si in regni servitio sit. 3. Si inimici sui causa non possit adesse. 4. Ob majus incendium. 5. Si peregrè abierit. Testes autem horum impedimentorum erunt duo possessionati viri, si ea obtendere velit. Si producat authorem suum, à quo rem adquisivit; teneatur tam de onerosis, quàm lucrosis: & ille sit extra culpam, qui ab ea se purgare potest.

XIX. CAP.

Si quid contentionis de re aliqua accidat inter quosdam, quomodo tunc mediator & testes prodire & æstimare debeant.

Si quis authorem suum producere non possit; mediatorem & proxenetam suum & testes producet; mediator autem venditorem: Si ille adveniat, mediator liber est. Si venditorem producere nequeat; mediator probabit, quod proxeneta in tali emptione fuerit, & testes, utrimque rogati, hoc juratò adserent. Tradatur itaque

res contentiosa, nec aliqua mulcta solvatur: Proxeneta verò refundat ei plenum rei emptæ & à se æstimatæ pretium (b).

(b) *Confer Synops. jur. Diss. 15. qu. 17.*

XX. *CAP.*

Si neget mediator vel proxeneta se æstimasse.

Quando proxeneta negat se æstimasse, & emptor habet suæ emptionis testes duos viros proprium domicilium habentes, qui interfuerunt rei emptæ; præstabit juramentum cum duodenâ manu emptor, & precabitur ita Deum sibi propitium, quod ille fuerit proxeneta ad illum equum, vel quodcunque aliud, quum illud emerem, & hi fuerint ad hoc testes, & propterea teneatur ipsi evictionem, aut plenum pretium præstare emptori. Si testes tales habeat, & ita juret; tradatur res litigiosa, nec mulcta aliqua solvatur, & proxeneta refundat ipsi plenum rei à se æstimatæ pretium.

XXI. CAP.

Si nulli testes emptioni adsint, & res empta in controversiam vocetur.

Si deficiant testes emptionis, per quos proxeneta convincendus esset; incumbet ei probatio per XII. virorum juramentum, quod nunquam fuerit pararius in ista emptione, ideoque non teneatur ei de evictione: Si præstet illud juramentum; absolvetur. Sed qui non potest producere authorem suum, à quo rem habuit; sit culpa furti penes ipsum, & tradat illud, de quo controversia erat, & XL. marcas mulctæ loco. Si res minoris sit pretii, quàm dimidiæ marcæ; eodem modo procedatur ad ostendendum authorem à quo adquisita est, & mulctetur, ut antea dictum est, in tali furto. Pignora pari modo per authoris productionem probari debent.

XXII. *CAP.*

Si contra aliquem controversia movetur, qui dicat se conduxisse, aut utendam accepisse rem.

Si

Si ille cui lis movetur de re aliqua, dicat quod eam conduxerit, vel utendam acceperit à viro quodam vel fœmina; in sequestro ponetur, donec adveniat qui rem pro sua vendicatum eat, & dicat se verum esse possessorem istius rei, & se ei commodasse, vel locasse; tunc illi incumbet onus hæc probandi, ut monstret illum à quo adquisivit, & ille sit liber, si eum monstrare possit. Si verò hic dicat, se nunquam hoc possedisse, nec unquam ei commodasse, vel locasse; stet illud cognitione Nemdæ territorii.

XXIII. CAP.

Quid possidere debeat furem comprehendens.

Si omnia, fur & res furtiva capiantur; capiens omnia quæ fur secum habebat, ita ad se recipiet, atque si ejus propria essent. Cui verò sua furto ablata sunt, absque pecunia ea (i) recipiet.

[i] *Confer Synops Iur. Differt.* xx·v.*qu.*iv.

XXIV. CAP.

Si quis ab alio furetur in templo vel cæmiterio.

Si quis furetur in æde sacra vel cæmiterio ab alio, vel ex ipsa æde bona ejus, vel ibi adservata, vel effringat templum, & in ipso actu deprehendatur; non ibi plus securitatis habebit, quàm alibi, ubi cum re furtiva capitur, & legitimè convincetur sui facinoris, & pro merito ut fur plectatur pro ratione delicti. Si verus actor adsit; agat ipse contra furem: si non adsit; agant æditui & parœciani.

XXV. CAP.

De illis qui furantur poma in alienis hortis.

Si quis furetur poma in alienis hortis, vel alios fructus, si superveniens paterfamilias vel ejus familia furem in eo deprehendat; auferat ei vestem vel aliud quid loco intersignii. Si hoc probare possit duorum virorum testimonio; fur mulctetur tribus marcis & refusione damni, nec inficietur. 1. §. Si interveniant homicidium, vulneratio, vel alia cruoris signa; dupli pœna erit tale quid passæ possessoris familiæ in reum, & impunè erit quod passus est reus.

XXVI. CAP.

Si quis ſuccidat pomos vel alias fructiferas arbores.

Si quis decidat pomos, vel alias fructiferas arbores in hortis; mulctetur tribus marcis. Si defringat ramos ex arboribus fructiferis, mulctetur ſex oris, ſi deprehendatur teſtibus præſentibus. Si inſimuletur hujus facti; purget ſe XII. virorum juramento, vel mulctetur, ut ante dictum eſt.

XXVII. CAP.

Si quis furetur porrum, olus, piſum, rapa, fabas.

Si quis ingrediatur alterius hortum vel olitorium, & furetur porrum, herbas, vel olus; deprehenſus mulctabitur tribus marcis, & refuſione pro damno: ſi non deprehendatur; purget ſe XII. virorum juramento. 1. §. Si furetur piſum, rapa, vel fabas; deprehenſus pro vehe plauſtri vel cymbæ, vel quantum in ſagmate vel clitellis jumenti vehi poteſt, mulctabitur tribus marcis: pro onere portatili actori ſoli ſex oris. Si inſimuletur hujus rei; purget ſe XII. virorum juramento, vel mulctetur, ut dictum eſt.

XXVIII. CAP.

De lupuli furibus in inſulis.

Quando quis furatur lupulum ex lupuleto in inſulis, ſcopulis vel ubicunque naſcitur; deprehenſus ligetur, & in judicium deductus damnetur ad pœnam corporalem flagellationis vel membri præciſionis, pro qualitate facinoris. Si inſimuletur ejus; purget ſe pro conditione facti, vel mulctetur, ut prius dictum eſt.

XXIX. CAP.

De piſcium & retium furibus.

Si quis furetur ab alio piſces ex reti, naſſa, hamo, vel aliis inſtrumentis piſcatoriis, & coram deprehendatur; mulctetur tribus marcis. Si furetur rete aut aliud inſtrumentum piſcatorium; furis pœna pro ratione æſtimationis afficiatur.

XXX. CAP.

Si quis alios inſimulet corruptæ ad furtum familiæ.

Si quis alios inſimulet corruptæ ad furtum familiæ; purget ſe XII. virorum juramento, vel mulctetur tribus marcis.

XXXI. CAP.

Si Lensmannus dimittat furem ex carcere.

Ubi quis legitimè furem ſuum capere poteſt; tradet eum Regis Lensmanno: Qui ſi eum dimittat; pro eo tenebitur pari pœnâ.

XXXII. CAP.

Si quædam amiſſa inveniantur in via, quomodo ſint partienda.

Ubi amiſſa reperiuntur in via vel extra viam, quæcunque etiam ſint; intimari ab inventore debent in via coram viatoribus, qui eum ſequuntur, vel obviam fiunt. Si illi non adſint; ſignificet hoc in proximo pago, & coram parœcianis ſuis, in judicio territoriali & provinciali. Si adveniat qui amiſit, antequam publicatum ſit, & indicet vera rei amiſſæ ſigna; adjuret ſibi cum duobus viris ipſe tertius, & ſuum recipiat absque redemptionis pretio. Si non adveniat, qui recognoſcit, intra noctem & annum; Rex capiat duas partes, & tertiam partem inventor.

XXXIII.

XXXIII. CAP.

Quid ex inventa re inventor possidere debeat: vel si provocet ad intimationis testes, & in illis deficiat.

Jam inventor testes legitimæ denunciationis de re inventa habere potest; ille qui amisit, adjuret sibi cum duobus viris ipse tertius, & recipiat suum: qui verò invenit, tertiam partem rei inventæ habebit, ex sententiâ æstimantium, sive res inventa sit melior vel deterior. 1. §. Si quis provocet ad denunciationis testes, & in illis deficiat; mulctetur, & fur dicatur pro ratione delicti.

XXXIV. CAP.

Si quis inveniat rem amissam extra territorium.

Si quis reperiat rem amissam extra territorium; perferet eam ad proximum pagum, ibique deponet, & publicè denunciari eam faciet: Quippe nulla res inventa ex territorio, in quo reperta est, abduci debet, antequam finitus sit annus & dies, vel verus possessor ad repetendum advenerit.

XXXV. CAP.

Si quis reperiat alterius pecus cicur.

Si quis inveniat alicujus pecus aut jumentum, equum vel equam cicurem, bovem cicurem, vaccam, ovem, capram, juvencum, & quod utile pecus sit; hoc dominus sibi adjurabit cum duobus viris ipse tertius, & postea suum recuperabit absque refusionis pretio: alter verò se purgabit à præsumptione furti cum publicæ denunciationis testibus. 1. §. Equo, equa, bove quis uti, agere & vehere impunè ad necessarias suas operas, intra nec extra territorium potest, postquam legitimè de illis in judicio publicatum, & sententia lata est, donec verus possessor adveniat. Si ante legitimam denunciationem iis utatur; tribus marcis mulctetur.

XXXVI. CAP.

Si quis inveniat in littus ejecta, in aquâ salsâ vel recenti, vel reperiat in profundum demersa.

Si quis reperiat ejecta in littus (k), ad aquam salsam vel recentem, ubi verus possessor non prope est, atque ignorat, quò bona ejus pervenerint, & inventor legitimè denunciet; ille tertiam partem habebit, & possessor vel dominus duas partes. Si, qui suum amisit, adveniat cum veris signis, & duorum virorum testimonio; recipiat suum. Si non adveniat intra annum & noctem verus dominus; Rex duas partes & inventor tertiam partem capiat. 1. §. Si quis inveniat in profundum demersa, & legitimè in publico denunciet; dimidiam rei inventæ partem habebit. Si nullus adveniat, qui legitimè recognoscat, ut ante dictum est, Rex dimidium, & inventor dimidium capiet.

[k] *Vid. jur. maritim. Suec. Tit. 5. cap. 4. & 5.*

XXXVII. CAP.

Quomodo se à suspicione furti purgare debeat inventor.

UBicunque quis rem amissam invenit, à suspicione furti se purgabit primò publicæ denunciationis testibus: deinde adjurabit sibi qui amisit, cum duorum virorum jurejurando ipse tertius, & ita suum recuperabit. 1. §. Omnes qui bona alterius adjuvant eripere incendio, vel naufragio, vel hostili invasioni, viri eò meliores erunt, & tantum ex bonis servatis capient, quantum dominus illis dare vult.

XXXVIII. CAP.

Si quis capiat alterius rem utendam absque commodato vel conducto.

Si quis capiat ſine commodato vel conductione equum vel equam alterius viri, agat aut equitet, vel quodcunque opus faciat cum aſſumpto jumento, atque verus dominus ſuperveniat & omnia corripiat; qui illis uſus eſt vel abduxit, in judicium deducetur, & dominus poſtea poteſtatem habebit vel furti vel rapinæ eum convincendi, utrum velit, prout lex dicit.